DISSERTATIO POLEMICA

IN RECENTIORA QUÆDAM ERRONEA SYSTEMATA

DE MORUM DOGMATIBUS

IN QUA

I. De Syſtemate Quietiſtarum, II. De Gottefridi Leibnitii Harmonia Præſtabilita III. De Regula Honeſtatis, ſive de Theoria Actionum Humanarum, Omniſque Naturalis Juris, & Obligationis per Chriſtianum Wolfium Aſſerta

DISPUTABITUR

A PATRIBUS SOCIETATIS JESU

IN COLLEGIO ROMANO

Menſe *Die* *Anno* 1753.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ, MDCCLIII.

EX TYPOGRAPHIA GENEROSI SALOMONJ
IN FORO SANCTI IGNATII.
SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

PARS PRIMA.

DE SYSTEMATE QUIETISTARUM.

§. I.

Exponitur Quietiſmus, & impugnatur.

QUIETISTARUM Syſtema Italiam, Galliam, Hiſpaniam, aliaſque regiones longè, lateque ſuperiore ſæculo pervaſiſſe compertiſſimum eſt (*a*); neque adhuc extinctum peritiſſimi viri teſtantur. Ac primum quidem de Quietiſmo agendum generatim, atque univerſe, tum §. ſequenti ſingillatim de ea ſpecie Quietiſmi, quem craſſum, ac carnalem merito vocat Cl. Boſſuet, *De Statibus Orat. L.*10. *n.*3., & à Michaele de Molinos eſt propugnatus, pluraque Quietiſmo addit, ſicut ſpecies generi; Alter enim ab altero diligenter ſecernendus eſt.

(a) Legantur Acta condemnationis Quietiſtarum ad calcem Inſtructionis de Statibus Orationis Ep. Boſſuet ed. Par. 1697. : Ac de Italia vide Encyclicam Rom. Inqu iſ. an. 1687 ibidem p. vii. de Hiſpania vide Epiſt. Archiep. Palafox ad Inn oc.XI. ibidem pag. L., & aliam Epiſc. Genevenſis pag.LIX.

Digitized by Google

Ad tres errores præcipuos, quique malorum omnium in praxi fontes ſunt, Quietiſmum revocamus. Primus eſt error *Fidei obſcuræ* in Deum præſentem, qua *fixum intuitum* habere in Deum Anima dicitur, ipſum ut ſummum Ens, & Bonum confusè concipiens, ſine diſtincta cognitione Attributorum, & Perſonalitatum; abiiciens cognitionem Humanitatis Chriſti Domini, quin cogitet præmium, punitionem, paradiſum, infernum, mortem, æternitatem, rejectis imaginibus, figuris, ſpeciebus, quantum quis pro viribus contendere poteſt. Vid. *Molinos propoſition.*, 7, 18, 21 ex damnatis ab Innoc. XI. in Bulla *Cæleſtis Paſtor* 1687 XII Kal. Dec.

Secundus eſt Error *Actus perpetui*, quo quis ſcilicet, cum primum Deo per actum Fidei obſcuræ ſibi præſenti ſemel ex charitate tradidit ſe, ſuaque omnia, ſive quæ præſentem, ſive quæ futurum ſtatum ſpectant, cum omnimoda dependentia a divina voluntate, dummodo eam traditionem ſemel factam non retractet per actum oppoſitum, aut mortalem aliquam culpam, is, inquam, perſeverat in ſtatu continuo maximi apud Deum meriti cum perpetuo magnæ perfectionis augmento, virtutum omnium actus eminenter continente. Legenda Epiſtola Encyclica contra errores Quietiſtarum data 15 Februarii 1687 à Cardinali Cybo nomine Romanæ Inquiſitionis num. 1., & Bulla Innoc. XI. eodem anno in Molinos Propoſ. 12, 13, 17 & aliis. Eum ſtatum, quem explicuimus, Scriptores, & Doctores Quietiſtæ (*a*) vocant Contemplationem con-

(a) Horum notiſſimus eſt Michael Molinos: ejus Liber *Dux ſpiritualis* editus fuit Hiſpanice, Latine, Gallice, Italice, Typis Amſtelodami, Lipſiæ, Romæ 1681. &c. &c. cum DD. Virorum magnificis approbationibus: V. Palafox in epiſt. ad V. Innoc. XI. 7. Octobr. 1687. quam integram refert Boſſuet in Actis Damnat. Quietiſt. p. XLIX. gratias agit Pontifici, quod *detexeris, & damnaverit errores deteſtabiles Molinos, qui diſſimulatione diabolica eos celaverat infinitos homines, ex quibus ſe extitiſſe dicit: Gaudet ſe ex laqueis evaſiſſe, quibus tam pravo Doctori devinctus erat*: Libri duo *Interpretatio Cantici Canticorum, & Modus Brevis, ac facillimus orandi, & brevi tempore perveniendi ad maximam perfectionem*, conſcripti fuere a nobili fæmina *Guyon*; Liber alius -- *Regulæ Sociorum Infantiæ D. Jeſu Auctore P. la Combe* -- De his Tribus libris ſic cenſuit Cl. Epiſcopus Boſſuet -- Sont les Trois Ouvrages les plus

Digitized by Google

continuam, Amorem continuum, orationem Fidei puræ. Perpetuum illum actum, neque venialibus defectibus, neque animi evagationibus interrumpi docent cum Falconio in Epiſtola p.160 & 161, neque generatim loquendo ullis exercitiis Vitæ Humanæ, inter quæ ſomnus ab aliquibus numeratur, uti diſerte tradit Nobilis Fæmina, & Quietiſtis celeberrima *Guyon* in Interpretatione Cantici Canticorum cap.55. ver.2 p.111. Hinc *Malaval* appellat eum actum non continuum modo, ſed *univerſalem*. Legendus Par.1 p.29, & ſeqq., & Par.2 pag.197 & ſeqq.

Tertius eſt error *actûs inactivi*, ſive inactivitatis, quæ ad plura ſe extendit. Primo excludit actus Fidei explicitæ, ſolumque permittit actum confuſum circa Dei eſſentiam præſentem. 2 excludit explicitos ſpei actus, & deſideria æternæ ſalutis, eo quod in ſpe exercenda amor proprius exerceatur. Ad ſpem pertinent explicitæ preces, & meditatio quæ ad preces diſponit. 3 excludit iteratos actus charitatis, (præter primum), & reliquos explicitos, qui charitatem comitantur, (ſaltem niſi adſit ſpecialis divina Motio) cujuſmodi ſunt explicita contritio de peccatis, gratiarum actio, voluntas mortificationis, aliique præcipue ex proprio conatu voluntatis, utcunque per auxilium ſupernum præparatæ. 4 Generatim excluduntur actus reflexi ſupra ſe ipſum, & proprios actus. Hac multiplici inactivitate poſita reliquum eſt, ut anima quieſcens in ſtatu, qui perpetuò paſſivus ſit, cum omnimoda reſignatione in Deum, & indifferentia ad ipſam ſalutem, & damnationem ſinat ſe à Deo agi, & moveri per Dei ipſius operationem, & inſpirationem peculiarem. Legatur Encyclica cita-

---

plus pleins du vrai eſprit du Quietiſme groſſier -- Vocat etiam hos libros fideliter conformatos ad exemplar Molinoſii -- *Fideles copies* -- Ejuſdem la Combe eſt Liber -- *Analyſis Orationis Mentalis an.* 1686. Sunt ex Quietiſtarum Libris *Alphabetum*, *& Epiſt. P. Falconi*, *Praxis facilis elevandi Animam ad contemplationem auctore D.Malaval -- Chretien Interieur, & Autres Oeures de M. de Bernieres Lovigni : Conferences Myſtiques de l'Abbè d' Eſtival : Oeures Spirituelles de M. L'Abbè de Brion* -- Horum, & aliorum ſimilium Librorum Proſcriptiones Romæ, & alibi Decretas vide apud Cl. Boſſuet *Actes de la Condannation des Quietiſtes*, ad Calcem Inſtructionis de Statibus Orationis Paris 1697.

citata, & Bulla Innoc. XI. à Propoſ. 1. Molinos ad 17, & ſimilia in aliis Propoſitionibus ſparſim, eademque in Quietiſtarum libris legere eſt. Quietiſtarum Syſtema Praxim eſſe quandam, ad cujus exercitium Janſeniſmus ducit, oſtendit Dialogus inter Janſeniſtam, & Quietiſtam Tomo IV ad Conſtitut. Unigen. Auctore P. La Fontaine.

Reprobamus tres expoſitos errores, uti Verbo Dei ſcripto, & tradito contrarios. Ac primum quidem errorem impugnant Teſtimonia illa, ſive Scripturæ Sacræ, ſive Fidei Symbolorum, ſive SS. PP. quibus Fidelibus univerſim ſive præcipitur, ſive commendatur Fides diſtincta Attributorum Dei, Perſonalitatum, Humanitatis Chriſti, ejuſque Vitæ, ac Mortis, ac denique Noviſſimorum, quæ ſine ulla Scripturarum auctoritate, imo contra Scripturas ad imperfectos Quietiſtæ eſſe coarctanda docent; cum ipſe Paulus ſcripſerit = Ne forte cum aliis prædicaverim ipſe reprobus efficiar: = 1. Cor. 9. Fruſtra ex Pſalmis Davidicis plura coacervarentur. Suffragatur ratio Theologica; Nam Dei cognitio, quo magis diſtincta, & clara eſt, eo aptior eſt ad amorem excitandum: Non modo autem clarior Dei cognitio ex diſtincta attributorum cognitione habetur, ſed etiam ex Humanitatis Chriſti conſideratione, cum ſit Dei opus nobiliſſimum, ac proinde ſui Artificis perfectiones accuratiſſime oſtendens: quas perfectiones Sapientiæ, Omnipotentiæ, Bonitatis, Juſtitiæ Noviſſima etiam oſtendunt. Eoque magis, quod practice poſſibilis eſt cognitio indiviſibiliter repræſentans Deum ut authorem Humanitatis Chriſti, in qua Theſauros omnes ſapientiæ, & ſcientiæ ſuæ poſuit, vel etiam ut authorem Noviſſimorum; quæ cognitio cum indiviſibiliter v. gr. repræſentet Deum *ut Principium*, Humanitatem ut *effectum*, nullo intercedente diſcurſu progreſſivo ab Humanitate ad Deum, aptiſſima contemplationi exercendæ eſt. Præterea, quod ad Chriſti Humanitatem attinet, hæc non modo Dei cognitionem accendit, ſed & modum docet, quo ipſum amemus; cum *Vita Chriſti*, ex Auguſ. L. de vera relig. c. 16. *tota in Terris diſciplina morum fuerit*; *Non enim ullum peccatum committi poteſt, niſi aut dum appetuntur, quæ ipſe contempſit, aut fugiuntur, quæ ipſe ſuſtinuit.*

Alte-

Digitized by Google

Alterum errorem impugnant tum ea Scripturæ Teſtimonia, quæ meritum vitæ Chriſtianæ nobis deſcribunt ſub ratione maxime poſitiva *Operis*, *laboris*, *curſùs*, *militiæ*, *ambulationis per viam anguſtam*, *culturæ in vinea Domini*, tum illa alia, quæ charitatis exercitium per totam vitam, ſive præcipiunt, ſive commendant. Expendenda Teſtimonia Matth. 22. ad Corrinth. 1. cap. 10. & 13. & 16. Legendus Auguſt. In Enchiridio, & lib. 1. de Doct. Chriſtiana cap. 22. Hæc, aliaque ſexcenta charitatem poſitivam, non vero negativam docent, cujuſmodi eſſe videtur, quæ ſita eſt in non retractando actum quendam olim habitum.

Tertium errorem impugnat tum ſacra auctoritas præcipiens generatim laborem Sanctorum operum, = Agonizare pro anima tua = Eccle. 4. = Contendite intrare per anguſtam portam. = Luc. 13 = Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis = 2. Petri I. & alia innumera, tum ea ſpeciatim Teſtimonia, quæ de ſingulis virtutibus ſunt, quæ paſſim occurrunt, ideoque prætermittimus.

Ea tantum non omnino prætermittenda, quæ Spei exercitium ſpectant; revocant enim nobis in mentem controverſiam celeberrimam de amore puriſſimo inter Cll. Viros D. Boſſuet Epiſcopum Meldenſem, & D. de Fenelon Archiepiſcopum Cameracenſem, contra cujus librum *Explication des Maximes des Saints*. an. 1697 editum decennio poſt Molinoſii damnationem, & Propoſitiones 23 ex eo excerptas, pronunciavit Innocentius XII. in ſuo Brevi *Cum Alias* anno 1699.

Tria ſunt quibus & tota controverſia, & modus eam per ſua principia dijudicandi breviter teneri poteſt.

I. Licet ſecundum divinas inſpirationes, & ſaltem per breves moras eſſe poſſit in Viatore purus amor omne motiuum excludens, quod non ſit Deus ut in ſe bonus, uti docet S. Bernard. Tract. de diligen. Deo cap. 9. non tamen per ſtatum, & habitualiter: Cujus veritatis ratio fundamentalis eſt, quia Deus Bonorum ſuorum Dominus ſtatuit Viatores homines, non prævenire iis benedictionibus dulcedinis, quæ ſatis ſint ad eum habitualem charitatis ſtatum. Aliter fiet, *cum venerit quod perfectum eſt*, & *evacuabitur quod ex parte eſt* 1. Cor. 13.

Hinc

Digitized by Google

Hinc eſt quod pro hoc imperfectionis ſtatu præcepit actus non fidei modo, & charitatis, ſed etiam ſpei, qua juſti inclinentur *ad facicndas juſtificationes propter retributionem*. Pſal. 118. Id autem eo certius eſt aſſerendum, quo probatum à Catholicis eſt contra Bajanos, & Janſeniſtas, eorumque aſſeclas operationem ex ſpei motivo honeſtam eſſe, etiam ex S. Auguſtini ſenſu, ac quamvis ea Theologica charitate quæ rigoroſo quodam ſenſu in ſcholis uſurpatur, inferior ſit, tamen frequentiſſime uſurpari ab Auguſtino nomine charitatis: Utrumque horum aperte demonſtrant teſtimonia plurima, quæ exhibet Cl. Auctor Summæ Auguſtinianæ par. 2. quæſt. 1. art. 3. & ſeq. Satis fuerit addere praxim Auguſtini ipſius. Nam L. de Opere Monachorum cap. 29. „ Dominum Jeſum teſtem invo„ co ſuper animam meam quoniam.... multo mallem.... „ aliquid manibus operari, quam tumultuoſiſſimas perplexita„ tes cauſarum alienarum pati de negotiis ſæcularibus vel ju„ dicando dirimendis, vel interveniendo præcidendis.... „ Quem tamen laborem non ſine conſolatione Domini ſuſci„ pimus PRO SPE VITÆ ETERNÆ, ut fructum feramus „ cum tolerantia.... Omnibus & nobis & vobis..... *in ſpe* „ *gaudentibus* jugum ejus leve eſt, & ſarcina levis, qui nos „ vocavit ad requiem. „ Addamus praxim Martyrum ex Auguſt. Serm. 299. n. 8. „ Ideo] magni Martyres, quia quod valde du„ rum eſt pro Regno cœlorum fortiter ſuſceperunt, & cogi„ tantes promiſſa, tolerarunt moleſtias. „ Addamus & praxim „ Apoſtolorum ex Aug. ibidem: „ Paulus adtendens coronam „ contemnebat pœnam, & dicebat: Jam immolor, debetur „ mihi corona juſtitiæ.... Et Petrus noverat quo tendebat, „ ideo & ipſe paſſionem plena devotione ſuſtinuit.... Quo„ niam quô ibat amavit, quâ ibat toleravit. „ Ac profecto cum viſio, & amor Beatificus ſint ſumma hominis perfectio, qua rectiſſime ſe habet ad Deum ſuum, quî fieri poteſt, ut eum ſtatum appetere, & propter ipſum operari inhoneſtum ſit?

II. Eſt: Quamvis honeſtum ſit hominem cum indifferentia paratum eſſe ad ſubeundum pro Divino beneplacito malum quodcumque afflictiuum, in quantum tale eſt, etiam in hypotheſi, ut cenſemus, impoſſibili, quod vexationem æternam

Deus

Deus irroget innocenti, tamen ſecus dicendum eſt de malo culpæ, & privationis amoris Dei, deque iis quæ mala hæc involvunt, ac trahunt. Nam poſſumus quidem, ac debemus credere, quod Deus ſanctiſſimè agat, dum malum culpæ, ac privationis amoris Dei permittit, poſſumus ac debemus hujus voluntatis decreta adorare, ac venerari; at verò & poſſumus, & debemus orare, ne Deus hæc permittat, neve in *furore ſuo arguat nos, & in ira corripiat*; Nullo pacto laudabilis eſt oppoſita indifferentia, ſive ad ſummum bonum divinæ amicitiæ, & charitatis, quo homo optime ſe habet ad Deum ſuum, ſive ad ſummum malum contrarium, quo ad Deum ſuum peſſime ſe habet; Hæc oſtendunt falſas eſſe propoſitiones Archiep. Cameracenſis a 7. & ſeqq. & cum ſana Doctrina componunt quæ docent S. Chriſoſt. hom. 16. ad Rom. S. Aug. l. 2. in Heptatheucum quæſt. 14. Rupert. l. 4. in Exodum c. 30. Hugo Victorinus in ep. ad Rom. quæſt. 232. Richardus Vict. ſub fine L. De gradibus violentæ charitatis, Auctor lib. de ſimilitudinibus ſub nomine S. Anſelmi cap. 191. ubi de affectibus Moyſis, & Pauli: *Optabam ego ipſe anathema eſſe &c.*

III. Eſt: Ad virtutum actus exercendos expectandus non eſt impulſus ſingularis, & extraordinarius: Id enim viam illuſioni aperiret, & ſegnitiem foveret contra apertas Scripturas, quæ dum præcipiunt, hortantur, invitant, ut per bona opera certam noſtram vocationem faciamus, ſupponunt parata eſſe ex parte Dei auxilia: De qua veritate, qui innumera vel unius Auguſtini teſtimonia velit, adeat Cl. Auctorem Summæ Auguſtinianæ Par. 1. quæſt. 3. art. 5. & ſeqq. Inutilia autem, & fruſtranea eſſent, ſi præterea eſſet motio quædam ſingularis expectanda; quam expectans merito redarguendus eſt vocibus Auguſtini Serm. 88. num. 18. „ Solus autem ille non vocatur a Domino, qui non laborat in hoc ſæculo: Sed quis in hac vita „ non laborat in peccatis, & iniquitatibus ſuis? Si autem omnes „ laborant, omnibus dictum eſt: Venite ad me omnes qui laboratis: Si autem omnibus dictum eſt: quare culpam tuam tribuis in „ vitatori tuo? Veni: „ Hæc ſunt contra propoſit. 3. Arch. Cameracenſis, cui præivere quinque priores in Molinos proſcriptæ. Rectè itaque Auguſt. De peccatorum Meritis, & Rem. l. 2.

cap. 5. „ Nec ideo tamen ſolis de hac re votis agendum eſt,
„ ut non ſubinferatur, adnitendo etiam noſtræ efficacia volun-
„ tatis. Adjutor enim noſter Deus dicitur, nec adjuvari poteſt,
„ niſi qui aliquid ſpontè conatur: „ Quare ipſa *Oratio quietis*, ſano ſenſu expoſita, non ea dicitur, quæ nihil vitaliter agat, ſed quæ ſine labore, & ſollicitudine agat, cum ſcilicet *pluviam voluntariam hæreditati ſuæ ſegregat Deus*.

De Gnoſticis (*a*), aliiſque priorum ſęculorum Hęreticis, de Beguardis, Beguinis, Illuminatis, aliiſque, qui proximioribus ſęculis pręivere Quietiſtis non vacat tranſcribere, quę referunt Hiſt. Eccleſiaſticę Scriptores.

§. II.

De Peculiari Quietiſmo Michaelis de Molinos.

JAM de ea Quietiſmi ſpecie, quę carnalis Molinoſiſmus dicitur, a cujus ſpecialibus erroribus alieni fuere plures, etiam pii, ſed decepti Quietiſmi ſpiritualis defenſores, ut recte monet Boſſuet Inſtruct. de ſtatibus orat. l. 10. n. 3. Addit, eum qui Quietiſmus ſpiritualis eſt, viam parare carnali Quietiſmo; at quoniam tantus vir id ſupponit, non exponit, facturi operę pretium erimus, ſi hanc maximi momenti connexionem exponamus, ut conſtet, quam mala ſit radix, ex qua tam pravi fructus exiſtant.

Quoniam prima Traditio liberi arbitrii Deo per charitatem facta, & ipſa non retractatione perpetua, omnia Deo tradidit, quæ ad hominis ſtatum pertinent ſive pręſentem, ſive futurum, cum omnimoda ſui derelictione, & reſignatione in Deum, non tam inpoſterum agendo, & conando, quam patiendo quidquid Deo libeat,

---

(*a*) Unum eſt, quod an ab aliis animadverſum ſit, neſcimus: Gnoſticos veteres æque ac Quietiſtas commendaſſe *Fixum intuitum* in Deum, ſed ſpeculatiuum. Plotinus Scriptor ſæculi III. Enneadis ſecundæ Libro IX. qui eſt contra Gnoſticos cap. 15. pag. nobis 214. hæc habet - - *Quod enim ſolent dicere ad DEUM ASPICE* βλέπε πρὸς θεὸν *nihil prodeſt omnino, niſi quo pacto inſpecturus ſis, perſpicuè doceant. Nam nihil prohibere quis dixerit, quin aliquis aſpiciat quidem, nulla tamen abſtineat voluptate, neque cohibeas iram, atque commemorans tantum ipſum Dei nomen, ſuccumbat interim perturbationibus omnibus.*

Digitized by Google

libeat, per ſolemnem ſcilicet abuſum Scripturę dicentis 1. Reg.3. *Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat*: ad Philipp.4. *Nihil ſolliciti ſitis .... omnem ſollicitudinem veſtram projcientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis* = hinc eſt, quod Molinos docuit, nihil eſſe, quod nobis diſpliceat tędium rerum ſpiritualium, & faſtidium virtutum: hęc potius bonum eſſe, quo facilius nos in Dei providentiam projiciamus, elaborandos ſcilicet, ſicut lutum in manu figuli; contra vero devotionem ſenſibilem abominandam dixit, ac immundam, quippe qua per ſe ſatis homini grata, non purgetur proprius amor, ſed foveatur. Vide Molinos a propoſitione 17. ad 30.

II. Hinc fieri, ut curandum non ſit de tentationibus, ſive motibus quibuscumque, aut iraſcibilis, aut concupiſcibilis appetitus, permittendumque ſine ulla poſitiva reſiſtentia, ut dęmon agat quidquid ei libet, cum virtus ex Apoſtolo perficiatur in infirmitate: vide Molinos prop. 17, & 24.

III. Cum autem Motus concupiſcibilis appetitus, qui tentante dęmone excitari ſolent, penes plus, & minus differant ab actibus conſummatis, quantum attinet ad materialem, & exteriorem entitatem ipſorum, hinc ſibi ſuaſit Molinos, poſſe dęmonem vim exercere in homines etiam juſtos, eoſque compellere, ut per ſe ipſos poſitive cooperentur pravis actibus exterioribus non aſſentiente voluntate, ſed permittente ut dęmon agat in hominis corpore: In his autem violentiis eſſe magnum, idemque ſpirituale bonum, quo anima ab amore proprio purgetur; quare has violentias agnovit in viris ſanctiſſimis: Non ſine horrore legi poſſunt Molinos propoſitiones a 41. ad 53.

IV. Eſt autem in Syſtemate Quietiſtico ſatis pręcipuum id, quod ſingularis ac peculiaris Dei motio dicitur; quemadmodum ſupra obſervavimus. Ad hanc confugit Molinos, ſibique aſſeruit dari certum ſupernum lumen, quo cognoſceret, num actus exteriores pravi, & exerciti ab homine poſitive cooperante per actiones per ſe influentes, fuerint dęmoniacę violentiæ? vide propoſit. 53.

Duo maxime tenenda ſunt, quibus hos errores refellamus Primum eſt: Secernendum eſſe *malum a mali uſu*: Ac malum quidem ex ſe, & ratione ſui objectum eſt fugę, atque averſionis: hinc Aug. Serm. 29. alias 3. de Diverſis = *Bona recte laudantur*, *ſicut*

ſicut mala recte vituperantur = At quemadmodum idem Auguſtinus ibidem cap. 1. *Tanta vis*, inquit, *eſt boni, ut bonum quærant & mali*, ita pronunciare poſſumus tantam eſſe vim mali, ut malum fugiant & boni. Hinc Beatos velle eſſe homines, nolle autem eſſe miſeros, centies eſt apud Auguſtinum: Tantummodo igitur *tolerare* ea poſſumus quę mala ſunt: *Deus homines*, ait Auguſt. Enarr. 4. in Pſ. 30, *jubet tolerare, non amare præſentia. Amari mors non poteſt, tolerari poteſt*, ait Auguſt. Serm. 399. *Nam ſi amatur, nihil magnum fecerunt, qui eam pro fide ſuſceperunt... vis noſſe quia tolerandum eſt, non amandum? Nomen interroga. Paſſio vocatur.... ſed dum amatur, quod erit poſt mortem, ſuſcipitur quod nolumus, ut perveniatur, quo volumus* & infra = Petrus & ipſe Paſſionem plena devotione ſuſcepit, ſed toleravit, non amavit paſſionem: toleravit paſſionem, quod ſequebatur, amavit = Inde patet quod diximus de *malorum uſibus*, quorum ſatis pręcipuus tolerantia eſt. Qua ratione de aliis malis, ipſiſque tentationibus ratiocinandum eſt, & Quietiſtarum ſophiſmata ſolvenda. Nam ſi de malis omnibus verè iſta dicuntur, quanto magis de iis, quę aliquo modo ad peccandum inclinant? Quare merito Aug. Serm. 151. cap. 3. Deſiderium tamen tuum tale eſſe debet ad Deum, ut nec ſit ipſa concupiſcentia, cui reſiſtas = Hæc quidem contra Molinos, qui laudat reſiſtentiam negativam, & improbat, tamquam minus perfectam, reſiſtentiam poſitivam: Ad quam, num ſemper ſub gravi culpa obligemur, alia quæſtio eſt, de qua Theologi Morales.

II. Eſt. Quamvis dæmon phyſica ſua virtute operari in hominibus poſſit eas violentias, de quibus Molinos, tamen nequit Deus id permittere in iis circumſtantiis, in quibus id cederet in perturbationem utriuſque Reipublicæ Eccleſiaſticæ, ac Civilis, autoritatem ab ipſomet Deo habentis, vetandi ſcelera, eademque ulciſcendi debitis pœnis. Si quæras, quænam eæ circumſtantiæ ſint? Reſpondendum eſt: Si exterius ſufficienter conſtet, aut conſtare poſſit de violentia adhibita, id non cedere in perturbationem Reipublicæ, puta ſi quis morbo phrenetico abreptus id faciat, ſi ~~quis a~~ dæmone poſſeſſus &c. Iſtis exceptionibus ſepoſitis, ſi Deus in ſenſu compoſito hujus providentiæ a ſe conſtitutæ, permitteret dæmoni hanc facultatem, ut homines etiam invitos ad actus externos

Digitized by Google

ternos de ſe malos cogeret, auctoritas utrique poteſtati conceſſa inutilis eſſet, reo quocunque exterioris delicti excuſationem obtendente ex dæmonis violentia. Ita Adulteri, Fures, Homicidæ &c. Hanc reſpondendi rationem excogitavimus, quo facilius, ac brevius difficultates graviſſimas enodaremus; qui aliorum reſponſiones cupiat, adeat Tom. 1. L. 3. quæſt. 5. P. Regueræ, qui Theologiam Myſticam doctiſſimè & eruditiſſimè pertractavit. Satis fuerit hæc breviter indicaſſe, quæ, aliaque permulta de veris, ac falſis Myſticis latius a nobis in Dogmaticis Prælectionibus diſputata ſunt.

PARS SECUNDA.

De Syſtemate Harmoniæ Præſtabilitæ.

GOdofredus Guillelmus Leibnitius Lipſiæ Natus, cujus obitus an. vitæ 70 incidit in an. Ch. 1716, vulgavit in Ephemeridibus Literariis Pariſienſibus anni 1695 & 1696 Syſtema de Natura, & Communicatione ſubſtantiarum, itemque Unione inter Animam, & Corpus intercedente, in quo celebrem Hypotheſim de Harmonia inter Animam & Corpus Præſtabilita primùm Orbi literario communicavit (a), de qua jam ab an. 1689 cogitare cæperat, Teſte Brukero Hiſt. Philoſoph. Tomo v. pag. 405. In eodem Pariſienſi Diario plura obiecit Foucherius Canonicus Divionenſis, tum Petrus Bayle in Dictionario Critico, *Verbo RORARIUS*, tum Franciſcus Lamy in Lib. de cognitione ſui ipſius Tract. 2. p. 225: Quibus Leibnitius reſpondit, tum alibi, tum in Diario Pariſienſi, quod in Batavia recudebatur ad an. 1709. Plura oppoſuere contra Leib-

(a) Quod autem ejus Inventor non fuerit, contra ac vulgò creditur, oſtendit Leibnitii, & Jo. Bernoullii Commercium Philoſophicum, & Mathematicum ed. an. 1745 Tom. 1. Epiſt. 87 quæ eſt Bernoulli ad Leibn. data an. 1696 -- Vidi, ait, Diarium Pariſinum an. 1696 ubi tres notas Harmoniæ modos: primus eſt influentiæ, (quod Scholaſtici tuentur) ſecundus aſſiſtentiæ, (quod tuentur Carteſiani Occaſionaliſtæ) tertius præordinationis ..... Rejectis primo, & ſe-

Digitized by Google

Leibnitium Tourneminius e Soc. Noſt. Nevvton cum ſuis; Clarke, Stahlius, Godofredus Vvalterus, Ruardus Andala: Videndi Trevoltienſes ad an.1737 Art.1. Febr. Objecta contra Leibnitium congeſſit Bulfingerus in Commentatione Hypothetica de Harmonia Præſtabilita, quam edidit an. 1723. Scripſit in ſua Metaphyſica doctiſſimam Diſſertationem in Leibnitii Harmoniam Fortunatus Brixienſis vir non Philoſophis modo, ac Mathematicis, ſed & Theologis Clariſſimus. De iis, qui pro Leibnitio ſcripſere legendus Iſrael Theophilus Canzius, qui *Philoſophiæ Leibnitianæ, & Vvolfianæ uſum in Theologia per præcipua Fidei capita demonſtrare* aggreſſus eſt; Chriſtianus Kortholtus in quarto volumine Epiſtolarum Leibnitianarum a ſe edito, ubi Leibnitii verbis recitatis, oſtendit ejus Philoſophiam Religioni non adverſari. Cæterum præſtantiſſimus Leibnitianæ Harmoniæ Propugnator Vvolfius eſt in Pſychologia Rationali, Methodo ſcientifica pertractata, quam edidit Marburgi Cattorum an.1734 Legendus Sect. III. cap.V., ubi §.612 fatetur *fuiſſe plures, qui Harmoniam Præſtabilitam, tamquam impiam, traduxerint*. Sed & nobis fatendum ingenuè eſt plures fuiſſe, qui tantam, tamque gravem cenſuram frivolis argumentis comprobandam ſuſceperint, Bonæ Cauſæ proditores verius, quam defenſores. Id ne nobis contingeret, alia quædam Theologica argumenta excogitavimus, quibus exponere conabimur Harmoniæ Præſtabilitæ cum ſana doctrina diſſonantiam, licet hoc ſyſtema, etiam ut a Vvolfio propoſitum, ac reformatum eſt, propugnetur.

§. I.

& ſecundo amplecteris tertium, tamquam elegantiſſimum, & Deo digniſſimum, quia ſufficit Deum utramque ſubſtantiam, animam ſcilicet, & corpus, tanta cum perfectione, & exactitudine formaſſe, ut alterum altero conſpiret, ſuas tantum proprias leges obſervando, perinde ac duo horologia accuratiſſima perpetuò conveniunt, ſine ulteriori interventu artificis horologiarii. Sed hæc ſententia non omnino nova mihi videtur: Eundem fere in modum a noſtro Domino Braunio ſæpius explicari audivi, & ni fallor continetur in ejus Syſtemate Theologico. Ego quoque ſimiliter fere rem concepi. *Hæc Bernoul.*

Digitized by Google

§. I.

Exponitur Syſtema Harmoniæ Præſtabilitæ.

SUmma Siſtematis hæc ſunt: Primum eſt. Poſſibiles ſunt finitæ in infinitum Machinæ humanorum Corporum, quæ vi Mechanica ſuæ ſtructuræ, tanquam Horologia, ſine ullo animæ concurſu, imo etiam ſine ipſius præſentia, agant omnes actus externos, quorum homines capaces ſunt, ea ipſa actionum ſerie, qua exerceri deprehendimus, ſive ad virtutes, ſive ad vitia pertineant, ſive ad ſcientiam quamcunque, ſive ad Artes, aut liberales, aut ſerviles &c. &c.. Ex. gr. Poſſibilis eſt Machina humanæ configurationis, quæ more Horologii præſtet quæcunque Corpus Julii Cæſaris a primo conceptu ad obitum præſtitit belli domique: Poſſibiles aliæ, quæ Horologii more ſcribant quæcunque ſcripſere Plato, Ariſtoteles, Euclides, Archimedes, Carteſius, Nevvton &c. SS. Auguſtinus, Hieronymus, Thomas &c. Demoſthenes, Cicero, Lucretius, Virgilius, Tibullus &c. Fatetur Vvolfius quod hic Mechaniſmus Corporis ſit nobis incomprehenſibilis, non tamen, inquit §. *637* probabilitate deſtituitur =

COROLLARIUM: Obiecit Nevvtonus has machinas fore Miraculum: At Vvolfius, utcunque magnus Nevvtoni æſtimator, merito contemnit leve hoc argumentum, quo ſatis confirmatur cenſura lata a Cl. Brukero Tom. V Hiſt. Phil. p. *367* = Leibnitius, inquit, ingenio Metaphyſico Nevvtonum longe ſuperabat. = Cui Cenſuræ & illa conſonat Celeberrimi P. Lamy cedro digna ſententia in Præfatione ad Elementa Mathematica = Nimium, inquit, ſæpe videmus, quod excellentiores Geometræ nequaquam boni ſint Metaphyſici; Nimirum non rite animo comprehendunt quæ pertinent ad Entia Spiritualia, Deum, Angelos, Animam humanam &c. Hęc P. Lamy: Ac ſane quî fieri poteſt, ut miraculum ſit, ideſt contra, aut ſupra Naturam, quod ex intima rei ſtructura, ideſt natura eſt? Atqui operationes illæ, utcunque mirabiles, ex ſtructura eſſent, ideſt natura illarum Machinarum, ſi ſemel eas poſſibiles dederis: quare miraculo eſſet adſcribendum potius, ſi illæ ſic conſtitutæ Machinæ, vel nihil, vel alia diverſa operarentur. Jam vero à diverticulo in viam redeamus.

Se-

Secundum eſt : Deus præſciens quas cognitiones & appetitiones, etiam liberas, unaquæque anima habitura eſſet, ſi crearetur, aptavit unicuique Machinam corpoream, quæ quamvis à vi activa animæ nihil pendeat, tamen internis animæ motibus prævisis,per conſonos externos motus conſpiratione perfectiſſima reſponderet, congrueret, conſentiret. (a)

COROLLARIUM : Hinc contra Præſtabilitam Harmoniam male argumentati ſunt plures, ab ea libertatem everti, ſive ad internos actus, ſive ad externos : Stat enim libertas ad internos actus : nam *appetitiones animæ*, ait Wolfius §. 630. *non fuere præſtabilitæ*, ſed relictæ ſuis principiis liberis, quæ unaquæque Schola ſuo ſenſu explicet. Stat etiam libertas abſoluta animæ ad actus externos eos, qui hic & nunc habentur: vel eos non ponendo per libertatem contradictionis, vel ponendo etiam contrarios per libertatem contrarietatis: Etenim quia Deus prævidit animam ex ſua libertate operaturam has internas appetitiones, ideo Deus decrevit aptare illi hoc corpus, ſive machinam operatricem iſtorum externorum motuum correſpondentium: vide Wolf. §. 633. Si animæ placuiſſet alias appetitiones internas determinare, Deus hoc præſciens, aliam corpoream machinam tribuiſſet, ex ipſa ſua ſtructura omittentem actus externos, de quibus ſupra, & ponentem contrarios; Igitur quoniam in poteſtate libera animæ erat, ſive eſt, determinare alias internas appetitiones; in ejuſdem poteſtate erat, ſive eſt, obtinere ſibi aliud corpus, & alios motus etiam contrarios.

Tertium eſt: Utilitas Harmoniæ præſtabilitæ eſt, ut ajunt, facilior explicatio Commercii, quod intercedit animam inter, & corpus : Hac enim harmonia ſepoſita, non niſi duo ſuperſunt ſyſtemata, quibus illud commercium explicetur: Primum eſt ſyſtema *Influxus phyſici* animæ in corpus, & corporis in animam, quo Scholaſtici utuntur : Alterum eſt Carteſianorum, & *Cauſarum*

(a) Wolfius §. 633 Deus, inquit, qui vi præſcientiæ ſuæ novit, quales ſint futuræ omnes liberæ volitiones animæ in ſerie perceptionum, & appetitionum contentæ, & vi omniſcientiæ ſuæ novit qualia poſſibilia ſint Corpora, & quales fieri poſſint rerum nexus, vi ſapientiæ ſuæ decrevit animam hanc cum hoc corpore in hoc rerum nexu producere, dum Harmoniam animæ, & corporis præſtabilire intendit, & in creatione rerum decretum ſuum exequens, Harmoniam iſtam actu præſtabilivit --.

Digitized by Google

rum Occaſionalium ſyſtema dicitur, quo nempe occaſione alicujus motus in anima, Deus ad illius præſentiam certum motum operatur in corpore, vel occaſione alicujus motus in corpore, Deus impreſſionem aliquam in anima efficit. Utrumque Leibnitius, & Wolfius impugnant, iiſque præferendam docent Harmoniam præſtabilitam; cujus expoſitionem qui velit, admodum prolixam, æque atque obſcuram, ac perturbatam adeat Wolfium l. c. cum quo monendum eſt: Syſtema Harmoniæ præſtabilitæ non extendendum ad operationes Gratiæ: cæterum ſi Deus ſupernaturaliter modificat animam, ſupernaturaliter modificare quoque debet corpus in hoc ſyſtemate: vide Wolf. a §. 137.

§. II.

Proponuntur noſtra Argumenta Theologica contra Harmoniam Præſtabilitam.

ARgumentum I. SS.Scripturarum,& PP. auctoritas,in idipſum conſpirante communi doctorum,& indoctorum ſenſu, præter libertatem ad internos actus, docet hominem eſſe mediatè liberum ad actus externos, non modo ita, ut poſſit eos quos facit, omittere, & contrarios ponere, ſed ita ut poſſit eos omittere *in eodem corpore, in eodemque* contrarios ponere. Eſt autem hoc omnino incompoſſibile cum ſyſtemate Harmoniæ præſtabilitæ,ut patet ex expoſitione ſyſtematis: Unumquodque enim corpus determinatum eſt ex ſtructura ſua ad hos actus externos, puta temperantiæ exterioris, nec poteſt aut eos ſecum omittere, aut contrarios operari: Quare anima, quæ determinat temperantiæ interioris actus, & quia prævila eſt ſic operatura, obtinet ſibi machinam corpoream aptam exercendæ exteriori temperantiæ, poteſt quidem determinare actus internos intemperantiæ: quod ſi faciat, Deus id prævidens aliam machinam dediſſet intemperantem, ſeu operatricem intemperantiæ exterioris; qui actus contrarii fierent, ut patet, *in alio* corpore. Ex quibus conſequitur, quod ſi Propoſitio noſtra prior vera ſit, ſacra autoritas aliquid doceat cum Harmonia præſtabilita plane repugnans.

Jam prioris Propoſitionis veritas oſtenditur I. Ex generalibus

bus

Digitized by Google

bus Sacrarum Literarum adhortationibus ad bonum corporis noſtri uſum, & ad abuſus cavendos: I. Corinth. cap. 6. Corpus, inquit, non fornicationi, ſed Domino, & Dominus Corpori... Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? (ſcilicet per Baptiſmum) Tollens ergo membra Chriſti faciam membra meretricis? Abſit... An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt, quem habetis a Deo, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis pretio magno: Glorificate & portate Deum in corpore veſtro: = Hæc vel inepta ſunt, vel ſupponunt idem Corpus, quod geſtabat Apoſtolus, idem ipſum quod Chriſtiani, ad quos alloquebatur, geſtabant, idem, inquam, eſſe indifferens, ut eſſet corpus vel fornicationis, vel Domini, vel Chriſti, vel meretricis, vel glorificans & portans Deum, vel potius peccatum: A quo tempore S. Paulus hæc ſcripſit circa an. Ch. 57. uſque ad mortem an. Ch. 69. de quo vide Nat. Alex. & alios, per duodecim annos ab omni fornicatione, aliave lethali culpa abſtinuit: quare ipſius corpus in ſyſtemate Leibnitiano tam erat Machina inepta ad omnem impudicitiam externam poſtremis duodecim vitæ annis exercendam, quam currus ad navigandum, navis ad volatum, equus ad loquendum; non minus, inquam, impoſſibile erat, quod Corpus Pauli ab honeſtate ad inhoneſtatem traduceretur. Qua ergo veritatis ſpecie dicere potuit = Tollens ergo membra Chriſti &c. &c? Sicuti ergo hæ, ac ſimiles phraſes oſtendunt animæ indifferentiam ad ſuſcipiendum vel unum, vel contrarium actum, ita oſtendunt indifferentiam corporis. Non eſſent igitur homines adhortandi, ut eodem accepto corpore potius in bonum utantur, quam in malum, ſed ut acquirerent potius a Deo corpora determinata ad bonum, quam corpora determinata ad malum.

Eodem recidunt aliæ ſimiles adhortationes ad Rom. cap. 6. = Scientes quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, & ultra non ſerviamus peccato.... Exiſtimate vos mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo.... Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus, ſed neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato, ſed exhibete vos Deo, tamquam ex mortuis viventes, & membra veſtra arma juſtitiæ Deo = Chriſtifideles, ad quos hæ adhortationes diriguntur, alii erant ſanctè in ſuis corporibus operaturi

turi, ut vult Paulus, alii male operaturi: relate ad utroſque verba Apoſtoli ſupponunt indifferentiam eorumdem corporum ad bonam, & loco illius ad malam ſeriem externorum actuum: Illi quidem, qui bene uſuri erant ſuis corporibus, ſupponuntur poſſe non uti bene, imo pro ſua libertate etiam male; qui male uſuri erant, ſupponuntur malos externos actus omittere, & contrarios in ſuo corpore operari poſſe: Non itaque utrique Machinas habebant Leibnitianas determinatas, illi quidem ab bonam externam actuum ſeriem, hi vero ad malam: Secus omnes ſe excuſare potuiſſent: Quid nos hortaris, ne regnet peccatum in noſtro mortali corpore, & ut exhibeamus membra ſervire juſtitiæ? Si Machinæ corporum bonæ ſunt, nequeunt prave operari; ſi pravæ, nequeunt agere bene: Hortandi ſumus, ut bonas potius, quam pravas Machinas obtineamus = Nullum igitur locum habuiſſent conſequentia Pauli verba = Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem.

Eodem quoque recidunt Dei verba ad Cain Geneſos 4. Iratuſque eſt Cain vehementer, & concidit vultus ejus: Dixitque Dominus ad eum: Quare iraſceris, & cur concidit facies tua?.. Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius = Igitur eadem illa Machina, in qua vultus concidit præ appetitu iraſcibili cum motibus corporeis proportionatis, poterat non concidere: Neque ex ſua ſtructura ad id determinata erat: Aliter ea allocutio æque inepta fuiſſet atque hæc: Cur hic ignis comburit? Cur hæc aqua madefacit? Præterea idem appetitus Cain, ſive Machina corporea appetens erat ſub ipſius dominio, & quæ pravos actus eliciebat, poterat bonos agere: Nemo autem dicitur habere ſub ſua poteſtate ferocem equum, eumque poſſe manſuefacere, quod poſſit ferocem abjicere, & emere manſuetum: Sed quod facere poſſit, ut eam ferociam non habeat, quam habet.

II. Oſtenditur eadem major Propoſitio ex ſpecialibus objurgationibus: Non enim ſolum hortatur ſacra Authoritas ad rectum uſum proprii corporis, & ad inordinatus uſus vitandos, ſed ut nobis exponat horum carnalium peccatorum malitiam, rationem hujus turpitudinis ex hoc ipſo ducit, quod ſint hæc peccata abuſus corporis a Deo nobis dati; quæ ratio inepta eſt

in Syſtemate Leibnitiano. Quid enim eſt, cur dicat Apoſtolus eodem cap. 6. ep. 1. ad Cor. Fugite fornicationem: omne quodcumque fecerit homo extra corpus eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat = Etenim, ſi qui interius impudici ſunt, habent corporeas Machinas fornicarias artificii incomprehenſibilis, Deoque auctore digni, ut cum Leibnitio vult Wolfius, quænam lugenda, ac deteſtanda turpitudo in eo eſt, quod hæ Machinæ in actus ſuos externos erumpant? Imo hoc unum eæ Machinæ præſtare poſſunt, non ſecus ac ignis comburere, & aqua madefacere. Et tamen eam deteſtandam turpitudinem præſeferunt, tum illa ad Rom. 1. Tradidit illos deos in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis... in paſſiones ignominiæ = tum verba etiam alia, quæ ſupra retulimus = Membra Chriſti, & templum Spiritus Sancti facere membra meretricis: regnare peccatum in corpore: Exhibere membra ſervire immunditiæ, & iniquitati = & alia hujuſmodi. Mittimus Auguſt. Serm. 162 & alios Patres, qui paſſim hac argumentandi forma utuntur, etiam in eos, qui bona corporis valetudine, ingenio, aliiſque prærogativis abutuntur. Omnia hæc ſupponunt idem corpus pro animæ libertate verſatile eſſe in bonum, aut malum uſum.

III. Idem oſtenditur ex commendatione virtutum Temperantiæ, Pœnitentiæ, earumque omnium, quæ corporeos appetitus moderantur: Nam in Scripturis commendatur tum honeſtas actuum externorum ad has virtutes pertinentium, tum etiam fructus; utrumque autem falſo fieret in Leibnitiano ſyſtemate. Vel enim Machina hujus, aut alterius hominis eſt ex ſua ſtructura temperans, vel intemperans? Si eligis primum, in ea non ſunt poſſibiles, niſi actus externi temperantes: Quæ igitur ſpecialis honeſtas? quæ materia Laudis? Hæc ſolum habet locum, ſi concipiamus Machinam indifferentem ad bonum & malum, potius ſibi habere bonos actus externos quam malos: Tum enimvero perfici intelligitur ea perfectione, quæ hujus vitæ propria eſt. Eoque magis quod horum actuum externorum perfectio in ſacris literis exponitur per phraſes exprimentes victoriam appetitus tendentis in contrariam partem; Hinc ad Rom. 6. Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus. Leg. Aug. Serm. 228. c. 10. Jam vero Machina humana temperans Leibnitiana

tiana, tam vere non tendit in actus intemperantiæ, ſtupri, adulterii &c. &c. ut hos actus tamquam ſibi impoſſibiles reſpiciat. Quare nullus propriè relinquitur victoriæ locus. Si eligis ſecundum, intemperantis Machinæ imperfectio non ſunt turpiſſimi actus, imo ſunt unum illud, ad quod ea incomprehenſibilis artificii, eademque elegantiſſima Leibnitiana Machina pertingere poteſt, non minus ac horologii perfectio eſt horas indicare.

Sed neque fructus ullus eſſet temperantiæ, pœnitentiæ, mortificationis exterioris in corporeis potentiis edomandis, ut intelligi poteſt ex iis, quæ modo diximus. Etenim abnegatio ſenſuum, jejunia, aliaque ſimilia in machina temperanti eſſent utilia, ſi eam ſupponerent, & aptam, & inclinatam ad vitam intemperantem, a qua corpus, ſeu machinam coercerent; At corporis machina, ſi temperanter ſe exercet, inepta eſt in ſyſtemate Leibnitiano ad turpia: ineptus ergo eſt, ſibique repugnans, qui eam per actus temperantiæ cohiberi, coerceri, frænari dicit. Quid igitur ſibi volunt illa Job 31. Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine: quam partem haberet in me Deus deſuper? Illa Pauli 1. ad Cor. 9. Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar = corpore ſcilicet non caſtigato: Illa ad Gal. 5. Qui ſunt Chriſti carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis = aliaque permulta hujus generis?

Argumentum ſecundum. Sacra Scripturarum, & Patrum auctoritas, conſpirante communi doctorum, & indoctorum ſenſu, docet hominem poſſe cooperari, ut idem alienum corpus & ad bonam, & ad malam diſciplinam informetur, pro varia inſtitutione. Eſt autem hoc omnino impoſſibile in ſyſtemate Harmoniæ præſtabilitæ, uti ex dictis patet; igitur Sacra Doctrina aliquid docet non compoſſibile cum hoc ſyſtemate. Major oſtenditur Prov. 29. Qui delicatè a pueritia nutrit ſervum ſuum, poſtea ſentiet eum contumacem: Ecclci c. 7. Filii tibi ſunt? erudi illos, & curva illos a pueritia illorum: Filiæ tibi ſunt? ſerva corpus illarum: = Hæc verba ſupponunt idem corpus Servi, Pueri, Filiæ pro varia inſtituentium diligentia & malam, & bonam conſuetudinem ſuſcipere poſſe, ſicuti eadem virga vel recta eſſe vel curva poteſt: Eadem materia artificialis Domus, Statuæ, Picturæ, Navis vel in bonum, vel

in

Digitized by Google

in malum opus evadere. Hæc conſonant verbis cap. 20. Job = Oſſa ejus implebuntur vitiis adoleſcentiæ ſuæ, & cum eo in pulvere dormient. = Non ſic autem impleta fuiſſent, ſi corpore ſuo aliter fuiſſet uſus. Nam Prov. c.22. Proverbium eſt: Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea.

Argumentum tertium: In Syſtemate Harmoniæ præſtabilitæ, quia Deus vidit totam ſeriem perceptionum, & appetitionum animæ independenter a corpore, ideo decrevit copulare animæ huic proportionatam machinam corporis, cujus motus conſentiant animæ. Vide Wolf. l. cit. ac præcipue §.633, & 634, *cum* inquit, *Deus motus in corpore non præſtabiliverit, ut appetitionibus animæ conſentirent, niſi quatenus liberas voluntates præſcivit*: quod dicitur ad ſalvandam libertatem internorum actuum. Contra autem non eſt verum in hoc Syſtemate, quod quia dantur aliqui actus in corpore, ideo aliqui fiant in anima: quare Wolfius l.c. = Præſentia idearum materialium in cerebro ad eas perceptiones, & appetitiones producendas nihil prorſus confert, adeoque in anima eodem, quo nunc prorſus modo, conſequentur etiam ſi corpus non exiſteret = Atqui ſacra doctrina docet potius multos corporis motus, ſive actiones, ſive paſſiones eſſe rationem conducentem, unde plures perceptiones, & appetitiones in anima ſint: igitur Syſtema adverſatur ſacræ doctrinæ, cum qua in hoc conſpirat communis Naturæ ſenſus. Minorem Propoſitionem oſtendunt, quæ ſacra doctrina docet de utilitate Jejunii, Modeſtiæ, Tribulationis, ac ſimilium ad excitandos internos virtutum actus: contra vero de aliorum externorum pravitate ad interna vitia & crimina excitanda, ſeu virtutes deſtruendas: qua in re fundamentum habet ſuum Doctrina, tum de charitatis merito in Proximis juvandis, tum de ſcandali vitio. Hinc Ecclci 31. = Infirmitas gravis ſobriam facit animam = ad Rom.4. = Scientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem = ad Rom.8. Quis nos ſeparabit a charitate Chriſti? Tribulatio an anguſtia &c. Certus ſum, quia neque mors, neque vita &c. &c. neque creatura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei. = Prov.17. = Plus proficit correptio apud prudentem, quam centum plagæ apud ſtultum. Job.31. = Pepigi fœdus cum oculis meis &c.&c. = Ecclci 9. = Virginem ne conſpicias, ne forte ſcandalizeris

lizeris in decore illius ... Noli circumſpicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius .... Propter ſpeciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiſcentia, quaſi ignis exardeſcit ... colloquium illius quaſi ignis exardeſcit: 1. Cor. 15. = Corrumpunt bonos mores colloquia mala = Hinc præceptum datum Iſraelitis Exodi 34. Cave ne unquam cum habitatoribus Terræ illius (Chananeæ) jungas amicitias, quæ ſint tibi in ruinam, & L. 3. Regum 21 = De Gentibus, ſuper quibus dixit Dominus Filiis Iſrael: non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad veſtras: certiſſime enim avertent corda veſtra, ut ſequamini Deos earum = Ecclci 9. = Cum ſaltatrice ne aſſiduus ſis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius.

Argumentum quartum: In Syſtemate Harmoniæ præſtabilitæ actus interni animæ non influunt in operationes externas; neque externæ in internas, ut certum eſt: Atqui ſacra doctrina oppoſitum perpetuo docet a primo Geneſeos Capite ad ultimum ſacrorum Bibliorum, ſeu 22. Apocalypſeos: Geneſ. 1. = Replete Terram, ſubjicite eam, & dominamini piſcibus Maris &c. = Quod corpus agat in animam, clamat Apoſtolica doctrina de carne concupiſcente adverſus ſpiritum, & illum captivante in Lege peccati, ut non quæ volumus, ipſa faciamus: Hinc Aug. Serm. 152. = Supra te Dominus tuus; infra te caro tua: contempſiſti ſuperiorem, torqueris ab inferiore: iſta eſt ergo Lex peccati = Itaque ſi libertas humana non ſe habeat active ad hæc externa opera, ſed ſe habeat anima ad corpus velut Horologium ad aliud Horologium uniſonum, quæ fuit ſimilitudo Leibnitii, & viceverſa corpus ad animam, tota Scriptura Sacra, imo omnis humana locutio omnium Gentium, quantum ex monumentis innoteſcere nobis poteſt, detorquenda eſt ad improprios ſenſus.

Hinc principio aſſeruimus Argumenta petita ex ſacra auctoritate concordare, ac conſpirare cum communi Hominum ſenſu. Recte Aug. Serm. 117. c. 8. = *Voluit Deus inſeminare omni animæ initia intellectus, initia ſapientiæ* = His negatis, prona via eſt, nedum ad errores, ſed ad ſtultitiam: Hæc *inſeminata initia*, quæcumque tandem ſint, illa Dei Lux ſunt de qua idem Aug. in Pſ. 145. num. 5. *Conſilium ſibi ex luce Dei dat ipſa Anima*

per

Digitized by Google

per rationalem mentem. Ex iis, quæ Anima ſic inſtructa experimentali quadam, certiſſimaque perceptione cognoſcit, unum eſt ſe active influere in corpus ſuum: *Vitam quidem ſuam, qua nunc vivit in Corpore*, ait Aug. de Civit. Lib.22. cap.29. n.5, & *hæc terrena membra vegetat, facitque viventia, INTERIORE SENSU quiſque, non per corporeos oculos videt* = Quod evidentius eſt in actibus externis virtutum, atque vitiorum = Quare Auguſtin. Serm.162. in illud Apoſtoli. = Qui fornicatur, in corpus ſuum peccat = *Iſta omnia facinora, & flagitia numquid nonniſi per corpus fieri, aut exerceri poſſunt? Quis hoc ſani Capitis homo negaverit?* Atqui hoc negant Leibnitius, & Wolfius, cujus hæc ſunt verba §.624. „ Anima vi propria producit omnes, quas ſucceſſi„ ve habet perceptiones, atque appetitiones conſecuturas eodem „ prorſus modo, quo nunc ſeſe invicem excipiunt, etiam ſi mun„ dus hic, conſequenter corpus eidem junctum non exiſteret: = nempe ſicuti Horologium non agit per aliud ſibi uniſonum. Sane mirandum eſt, aut potius commiſerandum, quod Leibnitius, Wolfius, & ſectatores Harmoniſtæ tot credant alienis experimentis, quæ Pariſiis, Londini, alibique fiunt, non credant ſibimetipſis, propriæque experientiæ, quæ in ipſis clamat Auguſtini verbis in Pſ.145. = *Anima inviſibile quiddam eſt, regit corpus, movet membra, dirigit ſenſus, præparat cogitationes, exerit actiones, capit rerum infinitarum imagines* = Liceat hic alloqui Harmoniſtas Auguſtini ejuſdem verbis Serm.288. *Audite quod in vobis ipſis approbetis, & vobis ipſis a vobis met ipſis interrogati reſpondeatis* = Si tam communis, & clara uniuſcujuſque experimentalis cognitio ſatis non ſit, licebit omnia in dubium revocare. Et tamen Leibnitius tom.2. ep.226. ad Bernoullium data anno 1715, qui vitæ penultimus fuit. „ Ni fallor, *inquit*, „ Harmonia præſtabilita, DEMONSTRATA EST: „ ſcilicet Demonſtrationis nomen, veteribus auguſtum, P? ſanctum, in Recentiorum Libris adeo viluit, ut leviſſimis etiam ratiunculis temere, arroganterque tribuatur.

Verum hæc Metaphyſica ſunt. Ratio aliqua Metaphyſico-Theologica eſſe hæc poſſet, quod Harmoniſtæ evertant magna ex parte bonitatem, & malitiam moralem. Duæ quippe ſunt Claſſes actuum moralium internorum: alii nullum ordinem dicunt

Digitized by Google

cunt ad exteriores operationes,ut GAUDEO DE DEO &c.&c.alii eum ordinem dicunt, ſuntque actus practici. Hi poſteriores totam ſubſtantiam, ſive bonitatis, ſive malitiæ ſuæ habent in hoc ipſo ordine ad actus exteriores, ad modum cauſæ eos efficientis: Hunc ordinem cauſalitatis ſi auferas, quid erit in Caino voluntas occidendi Abelem? quid voluntas furandi? &c. &c. Verum iſta indicare brevi libello vix licet.

Cum Syſtema Harmoniæ Præſtabilitæ non modo S. Scripturæ adverſetur, ſed etiam rationi, tum aliis de cauſis, tum quod machinam humanorum corporum fingat Homini *incomprehenſibilem*, prudens unuſquiſque ſibi ſuadeat, validiſſimas eſſe probationes, quæ Leibnitium, Wolſium, ac Sectatores in hanc ſententiam non tam adduxerint, quam coegerint. At maximum ac generale Wolſii argumentum eſt illud Phariſaicum ex Caipha Joan. cap. 11. = *Vos neſcitis quidquam* = quod ab ipſis Prolegomenis ſuæ Philoſophiæ, & in Præfationibus, & Librorum decurſu paſſim diverſis vocibus, ſed eodem ſenſu intonat in Scholaſticos quos dicteriis onerat, & conviciis: Scilicet multiplex experientia docuit, in quæſtionibus quæ ab obſervationibus, & experimentis non pendent, facilius eſſe Scholaſticos deridere, quam vincere. Quod reliqua argumenta ſpectat, nonnulla leviora præoccupata jam ſunt: Præcipuum quod reſtat eſt ex §. Wolſii 573. = *Syſtema Influxus Phyſici intelligibili modo explicari nobis nequit* = ergo cum Syſtema *Occaſionaliſtarum* ſupponatur aliunde falſum, ſupereſt, ut commercium Animæ, & Corporis exponatur per Harmoniam præſtabilitam: Antecedens non tam probat Wolſius, quam demonſtrat, methodo ſcilicet ſcientifica, ac Geometrica in univerſa ſua Philoſophia uſus, quemadmodum ſpondet in Prolegomenis ad Philoſophiam, & in Proleg. ad Logicam §. 26. & centies alibi, imo in fronte ſingulorum Librorum Philoſophicorum: Demonſtratio his propoſitionibus continetur à §. 559. & ſeqq.
I. „ Subſtantia una dicitur phyſice influere in alteram, ſi quædam
„ realitas, quæ inerat uni ſubſtantiæ, transferatur in alteram, cui
„ ante non inerat. II. Hinc Corpus noſtrum Organicum phyſice
„ influere dicitur in animam, quatenus ex corpore quædam in
„ animam transferatur realitas, quæ cum ante corpori ineſſet,
„ nunc inſit animæ, & viciſſim. III. Si Anima phyſice influit in

Digitized by Google

„ Corpus, vis quædam animæ tranſit in corpus: ſed quoniam ea
„ vis eſſe non poterat motrix (hæc enim vis, quæ in motu locali de-
„ prehenditur, corporea eſt, & in corporibus locum habet, nec
„ in anima locum habere poteſt) ideo neceſſe eſt, ut dum in corpo-
„ re recipitur, in motricem abeat. IV. Si Corpus phyſicè influit
„ in animam, vis quædam motrix tranſit ex corpore in animam,
„ cumque ea corporea ſit, & animæ parum conveniat neceſſe eſt,
„ ut dum ex corpore in animam tranſit, in aliam transformetur „
Ex his infert: „ Cum horum omnium nullam notionem habea-
„ mus, nec intelligibili modo explicari a nobis poſſint, dicen-
„ dum Syſtema influxus explicari intelligibili modo non poſſe.

Reſpondetur: ſi illæ quatuor propoſitiones veræ ſunt, influxus phyſicus utique eſt, nedum inexplicabilis, ſed abſurdus: Cæterum ſingulæ eæ quatuor propoſitiones falſiſſimæ ſunt, abſurdiſſimæ, a nonnullo ſapiente Scholaſtico uſurpatæ: Legatur Suarez Diſp. 17 Metaph. de Cauſa efficiente; & in libris de Anima. Quis unquam ſobrius ſomniavit ex Deo, prima cauſa efficiente mundi, transferri quamdam realitatem, quæ illi inerat, & relicto Deo tranſire in Mundum? Quis influxum animæ in corpus *per vim* explicuit, quæ exiſtens in anima ſit ſpiritualis: ubi autem in corpus tranſit, metamorphoſi quadam Poetis incognita, fiat materialis; & quæ materialis eſt, influente corpore in animam, ſpiritualis fiat? Habemus cujuſmodi ſint ii Doctores, quos Studiorum noſtrorum inſtauratores in Scientia Rationali, Coſmologia, Pſychologia, Ontologia, Theologia Naturali &c. ſuſpicimus, quibus aſſurgimus, quos niſi Clariſſimos dicas, aut alia quadam honoris præfatione compelles, rudis, atque impolitus habearis; Neque adhuc Catholici evigilamus. Hic ille eſt Wolfius, qui methodum Geometricam in Philoſophia uſurpaturum ſe ſpondet ab ipſis Prolegomenis Philoſophiæ univerſæ, ac Logicæ &c. Idque reipſa ſe præſtitiſſe gloriatur Tom. V. Element. Math. Commentatione 2. cap. 2. à §. 103. & ſeqq. Quare §. 110. commendat ſtudioſo = *Philoſophiam eadem*; inquit, *methodo conſcriptam, qua in Elementis Matheſeos utimur: Quamobrem cum id ante nos fecerit nemo, nec alia ipſi Scripta Philoſophica commendare valemus, niſi Opera noſtra Philoſophica, latino inprimis Idiomate conſcripta ... Valde vereor, ne ſi præſcripto a nobis more in Arithmetica, & Geometria fuerit verſa-*

Digitized by Google

verſatus, lectio aliorum Scriptorum Philoſophicorum, quam noſtrorum, te efficiat ſtudii Philoſophici deſertorem, aut in Scepticiſmum deducat.

Cæterum *Influxus phyſicus* animæ in corpus, & vice verſa, cum neque ſolidus, neque ſapidus, neque ſonorus, neque odorus,. neque lucidus ſit, intelligi non poteſt eo genere cognitionis intuitivæ, qua per ſenſus noſtros ſolida, ſapida, ſonora, odora, lucida intelligimus. *In homine carnali*, inquit Aug. Serm. 242. alias 147. de Tempore, *Tota regula intelligendi eſt conſuetudo cernendi: Quod ſolent videre credunt, quod non ſolent videre, non credunt:* Supereſt igitur, ut Influxus phyſicus intelligatur eo genere abſtractivę perceptionis, qua inſenſibilia cognoſcimus. Hujuſmodi autem objecta ſæpe cognoſcimus quod omnino, ac certo ſint, at quomodo ſint, prorſus ignoramus. Agnoſcunt Leibnitius, ac Wolfius, quod anima agat ſuas perceptiones, & appetitiones: At modus obſcuriſſimus eſt, & inexplicabilis. *Fieri iſta in animo, vel ab animo noſtro novimus, & certiſſimi ſumus*, inquit Auguſtinus l. 15. de Trinit. cap. 7, *quomodo autem fiant, quanto attentius voluerimus advertere, tanto magis noſter, & ſermo ſuccumbit, & ipſa non perdūrat intentio, ut ad liquidum aliquid noſtra intelligentia, etſi non lingua per veniat* = Imo cum motus corporis ſit quid imperfectiſſimum præ animæ cognitionibus, & appetitionibus: quiddam eſt longe majus, atque excellentius animam cognoſcere, & appetere, quam movere. Hoc itaque tenendum eſt: certa propria experientia ſcimus, quod anima cognoſcat, atque appetat: eadem experientia ſcimus, quod moveat corpus; Utrumque obſcurum eſt, quomodo fiat; Si negare liceat quæcumque non percipimus quomodo ſint, ac fiant, tum alia omnia negabimus, tum denique noſmetipſos.

Levioris negotii eſt argumentum, quod ſequitur: *Si anima*, inquit, *in corpus, & corpus in animam phyſice influit, in toto Univerſo non ſemper conſervatur eadem quantitas virium vivarum: modo enim quædam vis motrix in materia oritur dependenter ab anima, modo vis in gratiam animæ perit, quando corpus in animam influit: At per leges motus in natura rerum, ſeu toto Univerſo ſemper conſervari debet non quidem eadem quantitas motus, (quod in Carteſianis refellunt vel ipſi Leibnitius, & Wolfius) ſed eadem*

 virium

Digitized by Google

virium vivarum quantitas = Negamus hanc arbitrariam aſſertionem, quam teſte Leibnitio Epiſt.232. ad Johan. Bernoullium negat Nevvtonus, & aſſeclæ agnoſcentes *Spontaneam virium activarum diminutionem*. Scimus quod hac de cauſa Leibnitius ſugillat Nevvtonum, & ſuos: Addit enim = *Ex quo intelligitur Nevvtonum, ejuſque aſſeclas ſcientiam rei Dinamicæ nondum habere*: Sed hæc probant, quod Proteſtantes Mathematici Catholicis Theologis non parcunt, ſed neque Mathematicis ſuis: Cæterum a Wolfio demonſtrationem expectamus: Addit itaque Wolfius in Nota= *Quoniam motus regulæ abſque principiis Mathematicis non intelliguntur, hanc quoque pugnam influxus phyſici animæ, & corporis in ſe invicem cum ordine naturæ, Mathematum prorſus ignarus non comprehendit* = In his Sapiens Lector non aliud argumentum inveniet, quam illud phariſaicum = *Vos neſcitis quidquam* = Provocat Wolfius ad demonſtrationem hujus rei a ſe datam Coſmologiæ §. 487. = *In conflictu*, inquit, *Corporum Elaſticorum eadem conſervatur virium vivarum quantitas, adeoque vis viva, quæ per percuſſionem ammittitur, non perit*, = Reſpondetur conſervari eamdem quantitatem, quantum eſt ex natura elaſticorum percuſſorum: Sed ſaltem propter reſiſtentiam medii duo globi elaſtici poſt mutuum occurſum reſilientes paulatim quieſcunt, ideoque vis motrix, ſeu viva in ambobus perit, niſi confugiant Leibnitius, & Wolfius ad quaſdam inviſibiles communicationes *virium* in alia corpora, ſicuti Carteſiani a Leibnitio & Wolfio rejecti ad arbitrarias communicationes motuum. At quid reponet præterea Wolfius, cum duo globi molles in occurſu quieſcunt? Reſpondet in Nota ad §; 487 Coſmologiæ = *Si contingat in conflictu corporum elaſticorum motum prorſus extingui, adeoque vires vivas in corporibus ſibi mutuo occurrentibus amitti, in motum inteſtinum recipiuntur* = En recurſus ad inviſibilia arbitraria. His tandem figmentis conſtant illæ motuum leges a Leibnitio, & Wolfio aſſertæ, quas hic inacceſſas vult, ut ſupra retuli, imperitis Geometriæ. Ad figmenta non diſſimilia, aut etiam graviora opus eſt ut confugiant, ſi quis objiciat machinas animales innumeras, ſaltem in morte, non eſſe amplius vires vivas, ſeu motrices ut prius: Quod ut ſolvat Leibnitius docet in primo conceptu machinas animalium parvas eſſe, & deinde amplificari uſque ad menſuram debitam: in obitu autem

con-

contrahi ad primam parvitatem, atque hoc pacto perſeverare eamdem vim vivam. Quare ex Leibnitio *Mortem nihil aliud eſſe quam animalis contractionem, & organorum involutionem.* Legi iſta vix ſine riſu, aut commiſeratione poſſunt in Commercio Epiſtolico Bernoulli, & Leibnitii Edit. an. 1745. epiſt. 83, & 85, & prolixius epiſt. 87. tom. 1. pag. 435.

Tandem cauſam Leibnitii & ſuam ſic perorat Wolfius Pſychologiæ §. 640. felicior miles futurus, ſi conviciis, quam rationibus pugnet. = *Si quis*, inquit, *hebetior fuerit, quam ut philoſophicam ſcientiam capere poſſit, vel infirmior, quam ut inoffenſa pietate Syſtemati Harmoniæ Præſtabilitæ aſſentiatur, is Syſtema* (*Theologico-Scholaſticum*) *influxus phyſici amplectatur, & Syſtema Harmoniæ præſtabilitæ, ſi velit, damnet, modo ſibi temperet à malitia ..... Sequimur hic Keplerum Virum ſagaciſſimi ingenii, qui cum in Introduct. ad Comment. de Mot. Stellæ Martis Cauſam Copernici pro virili egiſſet, concludit* = Qui hebetior eſt, quam ut Aſtronomicam ſcientiam capere poſſit, vel infirmior quam ut inoffenſa pietate Copernico credat, ei ſuadeo ut miſſa Schola aſtronomica, damnatis etiam, ſi placet, Philoſophorum quibuſcunque placitis, ſuas res agat, & ab hac peregrinatione mundana deſiſtens domum ad agellum ſuum excolendum ſe recipiat, oculiſque, quibus ſolis videt, in hoc adſpectabile Cœlum ſublatis, toto pectore in gratiarum actiones, & laudes Dei Conditoris effundatur, certus ſe non minorem Deo cultum præſtare, quam Aſtronomum, cui Deus hoc dedit, ut mentis oculo perſpicacius videat = *Hoc Kepleri monitum*, addit Wolfius, *tanto confidentius inculco, quanto evidentior eſt identitas rationum, cur Anticopernicani Syſtema Copernicanum, & Antiharmoniſtæ Syſtema Harmoniæ præſtabilitæ oppugnant* = nempe oppoſitio cum Sacris Scripturis.

Miſſis conviciis, reſpondemus: In argumentis, quæ ex Scriptura deprompſimus, vim nos non feciſſe in debito interpretandi Scripturas in *ſenſu proprio*: Quare non eadem argumentandi forma uſi ſumus, ac Anticopernicani utantur. Cæterum Wolfius, qui & hoc loco, & in Elem. Aſtronom. P.2. cap. 3. Theorem. 27. in Scholiis prolixius irridet, ac refellit argumentum Anticopernicanum ex Scripturis petitum, quo quamplurimi Catholici, etiam in Mathematicis inſignes uſi ſunt, & cum Cl. Euſtachio Manfredio

Digitized by Google

dio in Epiſt. De noviſſimis circa fixorum ſiderum errores obſervationibus ad D. Leprottum an. 1730 non erubeſcunt Evangelium, cui Teſte Auguſt. Serm.156. c. 12. OMNIUM SUPERBORUM COLLA SUBDUNTUR, & apertè profitentur = *Hypoteſim de annuo telluris motu ..... Sacrorum Librorum, atque Eccleſiæ Patrum teſtimoniis edocti minime veritati conſentaneam novimus* = Vvolfius inquam, oſtendit ſe non optime percepiſſe vim omnem, quam contra Copernicanum habent Scripturæ, etiam ſepoſita Patrum auctoritate: Multus ipſe eſt in aſſerendo, quod *Scriptura Sacra, cum de rebus naturalibus verba facit, tradit pertinentia non ad ſcientiam, ſed ad hiſtoriam naturalem; ſeu nudam Phænomenorum recenſionem, vulgo etiam, & illiteratis intelligendam: Patet ergo*, inquit, *ex Scripturis divinis non poſſe dirimi controverſiam de motu terræ*: Ita in Scholiis ad Theor. 27. Elem. Âſtr. cap. 3. Idem alii aliter dixerunt intelligendam Scripturam in ſenſu populari, & quoad apparentiam.

At vis ſatis præcipua ſita eſt, ut plurima alia omittamus, non tam in Scripturis exponentibus res naturales, ſed in eo quod Deus in illis commendet nobis ſuam Omnipotentiam à maxima celeritate curſus ſolaris: qui ſi non verus eſt, ſed apparens, non vera, ſed apparens eſt, imo deceptoria, mendax, ſubdola, irriſoria omnis oratio, qua Deus infinitam virtutem ſuam, nobis ſic magnificat, falſa & deceptoria probatione uſus. Habeas præ oculis Pſal. 18. = *Cœli enarrant Gloriam Dei ... In omnem terram exivit ſonus eorum* (nempe Cœlorum) ... *In ſole poſuit Tabernaculum ſuum, & ipſe tamquam Sponſus procedens de Thalamo ſuo, exultavit ut Gigas ad currendam viam, a ſummo Cœlo egreſſio ejus, & occurſus ejus uſque ad ſummum ejus* = Adde Eccl. 43. *Sol in conſpectu annuntians in exitu, vas admirabile, opus excelſi ... Magnus Dominus, qui fecit illum, & in ſermonibus ejus feſtinavit iter*, & alia plura ſimilia = Jam ſi maximus ille motus diurnus ſolaris, cujus incredibilitatem adeo extollunt Copernicani, apparens eſt, & totus quantus eſt, habet eſſe ſuum in oculorum fallacia ac ludibrio: ſi reſolvitur in minimum motum diurnum terræ, qui eſt ad illum ſolarem diurnum, ut quantitas infinite parva, ut punctum ad maximum immenſæ ſphæræ circulum: ſi hæc ita ſe habent, ſermo ille divinus com-

commendans ſuam omnipotentiam a magnitudine illius inſignis effectus, ſeu operis, ſeu curſus non veri, ſed apparentis, aut imaginarii, tandem reſolvitur in panegyricam commendationem innixam fundamento, & titulo apparenti, & imaginario; cumque verbis magnifice ſonantibus ingerat audientibus hominibus ſpeciem maximi cujuſdam curſus, & immenſitate ſua ab humano intellectu difficilè comprehenſibilis, atque ex eo ſibi, tamquam auctori, gloriam velit; revera tamen Deus non illud magnum Opus facit, quod verba ſonant, ſed aliud inexplicabiliter minus, atque inferius, cujuſmodì eſt tantillus ille reſpectivè motus diurnus terræ: Hoc ſibi poſtulat laus genuina de peculiari quodam Opere, ut quod laudis objectum, ac materia eſt, non apparens ſed verum ſit; Abſurdiſſimum ſane eſſet, ſi Deus ſe commendaret ab aliquo Opere, ac nihil omnino faceret; at eſt etiam abſurdiſſimum, ut ſe ſe a magno Opere commendet, non niſi autem *aliud*, *idemque* minimum agat, & infinito pene intervallo minus. Quid eſt quod, & laudis falſitatem excuſet, & audientium deceptionem?

Intorqueamus in Copernicanos Virgilianum illud, quo adeo triumphant: *Provehimur portu, Terræque, Urbeſque recedunt*. Finge Virgilium laudare voluiſſe Palinurum, quo gubernatore ad clavum ſedente ferebatur Æneæ Navis; Commendaſſe autem illum a maxima, & pluſquam Gigantæa virtute, qua fieret, ut ejus voluntate *Terræ, atque Urbes recederent*; & velocitate incredibili abriperentur, & Borea atque Euro celeriores maximis itineribus in oppoſitam Cœli plagam feſtinarent. Quis hanc orationem eſſe irriſoriam negaret, aut mendacem? quo etiam nomine ſugillaretur, qui laudaret Aurigas noſtros, quod dum equos ſollicitant, Domos, Palatia, Templa, Campos etiam, moveant celerrimo curſu? Nempe quia huc tandem recidit Nautę, & Aurigę labor, ut diſiectis oculorum pręſtigiis, rem tantillam faciat. Eadem nos dicimus de commendata per Scripturam omnipotentia a Solis curſu diurno maximo: ſi non illo, ſed tantillo motu diurno terræ res iſta omnis abſolvitur. Huc etiam ſpectant Teſtimonia Scripturæ, quibus Deus in Joſue commendatur, quod Solem ac Lunam ſtare fecerit: *Stetit Sol, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei, obediente Deo voci hominis* Joſue X. Qui *ſta-*

re

Digitized by Google

re fecit Solem I. Paralip. c.4., *In Iracundia ejus impeditus eſt Sol*; *& una dies facta eſt quaſi duo* : *Invocavit Altiſſimum potentem in oppugnando inimicos undique* : Eccl. cap.46. = Sunt hæ in Copernicano ſyſtemate verborum phaleræ, quibus per fallaciam imponitur imperitis. Tota hæc Omnipotentis laus pene in fumos abit, & tanto magis decreſcit, ac minuitur, quanto motus diurnus Solis, quem præſeferunt Scripturæ verba, major eſt, ac majus omnipotentiæ opus : motus autem terræ diurnus, qui ſubſtituitur, motus eſt longe minor, & opus tum in ſe, tum reſpectivè longe inferius.

Id adhuc clarius eluceſcet, ſi compares horum motuum quantitatem. Pendet hæc ex quantitate materiæ in Sole, ac Terra, & ex quantitate circumferentiæ, quam maximam deſcribit Sol, ſi movetur, minimam vero Terra, ſi hæc movetur diurna vertigine. Ex. gr. In Tabulis, quas ad guſtum recentiorum exhibet Cheyne Nevvtonianus Princip. Philoſoph. cap.v. ed Ital. p.122., quantitas materiæ in Sole eſt 66690. = at in Terra eſt 1. Itaque ex hac parte tanto majus, ac excellentius Dei opus eſt movere horis 24. Solem, quam Terram, quanto vaſtiſſimum Solare corpus majorem habet materiæ quantitatem, quam Terra quantitatis adeo minoris. Quod ſi Deus, primum illud opus magnum ſe præſtare dicat, revera autem præſtet perexiguum illud alterũ, ſentis quantum veritatis decreſcat ſermoni divino potentiam ſuam commendanti? Hæc vera eſſent, quamvis æqualis via, ſeu circumferentia eſſet ab utroque ſolari, & terreſtri corpore deſcribenda; At in immenſum major eſt circumferentia deſcripta a Sole, horis 24. ſi habet motum diurnum : Nam ex eiſdem Tabulis, hujus circumferentiæ ſemidiameter, ideſt diſtantia Terræ a Sole, eſt milliariorum Italicorum 54000000 = & poſita ratione diametri ad circumferentiam, ut 1 ad 3, & amplius; adeoque ſemidiametri ad circumferentiam, ut 1 ad 6 &c. circumferentia motus diurni Solis, per quam *exultat ut Gygas ad currendam viam*, *a ſummo cœlo egrediens &c.* erit ſextuplo major ſive mill. Ital. 324,000,000, quorum uni tribuit Cheyne Ped. Pariſ. 5000: Cum tamen circumferentia motus terreſtris diurni, etiam in Æquatore, tantilla ſit, nempe milliariorum 21600, datis unicuique Gr. milliariis 60: :: : Quod ſi, ex jam inventis, datam materiam ſolarem ducamus in ipſius diurnam celeritatem, ſi Terram quoque in datam ejus celeri-

leritatem diurnam ducamus, ut Phyſici docent; quantitas tota Solaris diurni motus ad quantitatem motus diurni Terreſtris, ſi utraque redigatur ad pauciores terminos, erit ut 1,000, 350, 000 ad 1. Ecce tibi quam magnum ſit, ac excellens divinum illud Opus diurni motus Solaris, ex quo ſe opere Deus laudat, ac commendat: cum tamen per Copernicanos non magnum illud opus præſtiterit, mille millionibus, & amplius majus, ſed aliud longe diverſum, & mille millionibus, & amplius minus, nempe motum diurnum Terræ; Quod quid aliud eſt, quam falſa, deceptoria, atque illuſoria omnipotentiæ divinæ commendatio? Quemadmodum & illa alia de ortu, & occaſu Veneris Cap. 38 Job, ubi in ſuæ Omnipotentiæ laudem *Reſpondens Dominus Job de Turbine dixit ... numquid produces Luciferum in tempore ſuo, & Veſperum ſuper filios Terræ conſurgere facis?* Quod per Copernicanos (*a*) eſſet lau-

E

(*a*) At inquiunt: SS. PP. atque Interpretes conſentiunt quidem de quiete Terræ: Sed (miſſis Scholaſticis) Clariſſimi omnes Recentiores in motum Terræ conſpirant tamquam certum, & ſolis imperitis dubium, aut falſum: Quare non tam refutatione digni ſunt, quam commiſeratione, uti ajunt Keplerus, & Wolfius. Addit hic in Elem. Aſtron. par. 2. cap. 3. ad Theorema 27, (ubi non modo Aſtronomi, ſed Theologi, & Scripturarum Interpretis perſonam inducit, contenditque etiam Catholico-Romanum tuta conſcientia, miſſiſque ſcrupulis eſſe poſſe Copernicanum) addit inquam -- *Cancellos egrediuntur Theologi, & Concionatores, qui de Quæſtionibus ad ſcientiam Naturalem ſpectantibus ex Scriptura Sacra, quæ nihil earum rerum docet,* (ſed Fidem tantum, ac Mores) *decretoriam ſententiam proterve pronunciant ..... Hæc quæſtio de motu Terræ a Philoſophis Mathematicis decidenda ..... In ſcientia Naturali audiendi ſunt Mathematici, ſicut in objectis Fidei Prophetæ* -

Reſpondemus,, *Sunt tria propter quæ in animo ædificanda, omnium Divinorum Librorum Machinamenta conſurgunt: Fides, Spes, Charitas* ,, ait Auguſt. l. 8 de Trin. c. 4; Cæterum ad hunc finem multa proponit S. Scriptura ex Hiſtoria non modo Sacra Iſraelitici populi, ſed Civili Aſſiriorum, Babyloniorum, Perſarum, Græcorum, Romanorum:, Multa Chronologica, & Geographica,: multa de animalibus, Arboribus, Aquis &c. &c. quibus ad Dei cognitionem, amorem, alioſque pios affectus, atque actus excitemur. In his omnibus, quæ magnam Scripturæ partem occupant, æque infallibilis eſt autoritas loquentis Dei; æquè firma Fides adhibenda, cum conſentiunt SS. Codices, nec lectiones probatæ variant. Nam æque repugnat mentiri Deum, dum ait -- *Verbum caro factum eſt* -- ac dum teſtatur Tobiæ cap. XI -- *Præcucurrit Canis, qui ſimul fuerat in via, & quaſi nuntius adveniens blandimento ſuæ caudæ gaudebat* -- ,, Etiam ſi caudæ illius motus multo minus ad Fidem ſpectet, quam motus Solis, & Terræ Statio

laudare ſe de fallacia, & præſtigio oculorum: cum in eorum Syſtemate non magnam illam celeritatem diurnam Planetarum, ſed longe breviſſimam Terreſtris Vertiginis operetur. Sane neque vere, neque ſincere Scriptura loqueretur, ſi laudaret Joſuam, quod percuſiſſet XXXI Reges &c. Sampſonem, quod ſubruiſſet Domum cum tribus millibus Philiſtinorum &c. David quod ab adoleſcen-

---

tio,, -- ait Ricciolius Almag. L.IX. ſect.3 p.491. Quare etiam PP. auctoritas in Scripturis interpretandis non magnifacienda eſt in aliquibus Scripturæ Teſtimoniis, in aliis autem floccifacienda.

Ad eam *Proterviam*, quam in Catholicis Theologis Anticopernicanis reprehendit Wolfius, & quam Wiſthon in Prælectionibus Aſtronomicis an.1707. *Pervicaciam* appellat, odio ſcilicet Cardinalium, & Theologorum Rom. Inquiſitionis proſcribentis Copernicanam Doctrinam, ut *falſam & omnino contrariam Sacræ, & Divinæ Scripturæ*, Decreto legendo ap. Ricciolium l.9 Alm. in fine, cujus Decreti magna pars Card. Bellarminus fuit, ad hæc inquam Charitas, quæ ex Paulo *patiens, & benigna omnia ſuffert, ac ſuſtinet* ſuadet, ut pauca tranquilli, placidique reſpondeamus. Eſto: Clariſſimis iſtis Recentioribus veſtris auſcultandum in hac quæſtione ſit, *ut Prophetis*, ſiquidem conſentiant ſecum ipſis: at quæ noſtra vel protervia, vel pervicacia eſt non concordare cum diſſentientibus? Plerique veſtrum dicitis cum Bradleyo in Differt. de nova Aberrationum Lege in Actis Reg. Soc. an.1727 -- *Annuum Telluris motum in hac tanta Aſtronomiæ luce a nemine in dubium revocandum* -- Non his opponemus Euſebium Amort *in Falſitate Copernicani Syſtematis demonſtrata* an.1734, non Fortunatum Brixienſem &c. &c. Conſulamus Cl. Profeſſorem Phyſico-Mathematicum Pariſienſem D. Petrum Lemonier, eumdemque acerrimum Copernicanum Tom.4 Curſus Philoſoph. editi Pariſiis 1750, hoc eſt tribus ab hinc annis -- OMNES FERE PHILOSOPHI RECENTIORES, inquit pag.107, *contendunt hoc Syſtema Copernicanum defendi quidem poſſe ut hypotheſim, at ipſum*, NON POSSE *propugnari ut Theſim, quia inquiunt non omnino certum eſt Terram circa Solem contorqueri* -- His addantur -- *Lettres ſur la Coſmographie, où le Siſteme de Copernic eſt refutè, le Plan de l'Univers exposè ſur des principes dictès par l'Experiences, & les Obſervations des principales Accademies de l'Europe* .... *A l'Haye* 1745 par M. l'Abbè de Br .... De quo Opere Trevoltienſes ſic cenſent ad an. 1745.: Octob. pag.1942 -- *L'Ovurage eſt infinitement Sçavant* -- Cl. Euſtachius Manfredi ſub finem Ep. de noviſſimis &c. ad D. Leprottum an.1730 vocat annuum Telluris motum -- *Hypotheſim minimè veritati conſentaneam* -- Trevoltienſes ad an. 1745 Artic.XCVII vocant motum Terræ -- *Scripturæ formaliter contrarium*, ideoque puram hypotheſim -- Hæc pauca de jactato omnium recentiorum conſenſu in Copernicaniſmum, tamquam certum.

Eadem eſt ſciſſura de jactatis Demonſtrationibus: Wiſthon in Prælec. an. 1707 Prælec.IV à p.33 refert -- *Hookium, & deinde Flamſtedium Aſtronomo-*

ſcentia Leones, & Urſos apprehenderet, & ſuffocaret, aliaque ſimilia, ſi Joſue, Sampſon, David non iſta egiſſent, ſed aliud, idque centies millies, & millioneſies minus. Quem mihi dabis ex Copernicanis honeſtum virum, qui in hunc modum, ſive Factum ſuum, ſive alienum commendaret? nec ſibi metueret a nota mendacii, & deceptionis? Quare plauſibilius Copernicanum ar-

---

nomorum obſervatorum facile principem per methodum hodie certam & indubiam . . . obſervationibus ſeptem annorum Parallaxin annuam Fixarum in lucem protraxiſſe, atque eo pacto Syſtema Copernicanum, ad redarguendum, & pervincendum Adverſariorum pervicaciſſimos, proculdubio certum, & demonſtratum dediſſe: Concludit de hac Parallaxi certiſſimè conſtare, & proinde Telluris motum tandem aliquando ad certitudinem redactum, nec de eodem ab Aſtronomis ullo pacto in poſterum dubitari poſſe . . . totius gentis Anglicanæ gloria longè maxima -- At contra hæc ſcripſit Caſſinus Junior an. 1699, aliique, tum Cl. Euſtachius Manfredi, qui non modo Hookium, Flamſtedium, Wiſthon, ſed & Roemerum cum Horrebovio *in Copernico Triumphante* deceptos oſtendit, id comprobante Wolfio in El. Aſt. par. 2. cap. III. ad Th. 23. obſ. 46. Sch. 1. D. de Malezieux In Actis Trevoltienſibus ad an. 1725 Art. 52. vulgavit Demonſtrationem Syſtematis Copernicani ex Demonſtrata Regula Kepleri; Eam tres præſtantiſſimi Geometræ mirifice comprobarunt, publicis Epiſtolis, quos inter P. Laval. S. Jeſu Hydrographus Regius: *Votre demonſtration ſera ferme autant, qu'aucune autre de Geometrie* -- At in iiſdem Actis ad an. 1726 Art. 71 D. Rey demonſtrat Propoſitionem Fundamentalem à D. de Malezieux aſſumptam merum continere *Paralogiſmum*; Eamdem demonſtrationem pluribus vitiis ſcatere probarunt alii deinde. Abhinc tres annos Pariſienſis Profeſſor Phyſico-Mathematicus D. Lemonier, de quo ſupra, Tom. IV Curſus Philoſophici ed. an. 1750. *demonſtrandum* ſuſcepit Syſtema Copernicanum. Corraſit quidquid potuit validiorum argumentorum, nonniſi autem tria digna cenſuit, quæ referret. Potiſſimum pag. 109 eſt D. Bradley, *qui*, inquit, *demonſtravit primus Aberrationem Fixarum non aliunde poſſe oriri, quam ex combinatione motus ſucceſſivi luminis, & motus annui Terræ circa Solem. . . . deinde omnes ferè Geometræ Demonſtrationem illius Aſtronomi confirmarunt: Hinc Motus annuus terræ manet inconcuſſus*. At demonſtrationem Bradley innixam eſſe meræ hypotheſi, imo hypotheſi gravibus difficultatibus laboranti animadvertit Manfredius ſub finem Epiſt. ad D. Leprottum, & agnoſcit Wolfius, & probat in El. Aſtr. par. 2. poſt Theor. XXIII., docens proinde falli eos, qui ſive per has aberrationes, ſive per annuam Parallaxim Fixarum motum Telluris annuum demonſtratum contendunt. Habemus itaque *Prophetas*, ut appellat Wolfius, ſed diſſentientes; Quos ergo Prophetas Domini dicemus, quos vero Prophetas Baal?

At ad detorquendas Scripturas a ſenſu obvio evidentem rationem dabit Syſtema Copernicanum non utcumque, ſed uti a Cl. Nevvtono reformatum.

Digitized by Google

gumentum ab incredibili celeritate inextricabilium, ut vocat Wolfius, diurnorum motuum, ſive ſpirarum, quas deſcriberent Cæleſtia Corpora, Quieſcente Terra, ſuppoſita veritate, & ſinceritate Scripturæ, in ipſos validiſſime retorquetur; quandoquidem de ipſa illa celeritate nobis incredibili glorietur Deus: Quod ſi Copernicanus, ut in re ſimili ait Aug. Serm.301.n.3. *Os tor-*

Imo *deformatum*, inquit Cl. Autor Epiſtolarum &c. ed. an.1745, quod Opus Trevoltienſes citati vocant -- *Ouvrage infinitement Sçavant* -- Vid. ad an.1745 art.XCVII. pag.1950: Ecce tibi diſſentientes *Prophetas*: Si plura velis, adeas Acta Lipſiæ ad an.1717 p.446. -- *In re Mathematica laude ſumma fruitur vir magno ſuo merito celeberrimus Nevvtonus, ſed in explicanda Natura non ſufficere Matheſim ſolam, quin potius eam, citra Metaphyſicæ verioris ſubſidium, monſtra imaginationis parere, cognitioni Naturæ obicem ponentia, & paulo ante notatum eſt, & alibi iteratum eſt in his Actis* -- Et ad an. 1710 p.412 & ſeqq: redarguunt Nevvtonianum Syſtema, quod per illud -- *reditur ad Philoſophiam Phantaſticam . . . veræ Philoſophiæ principia confundentem, & in antiquum Chaos redeuntem, . . . & ad vetera ignorantiæ aſyla* -- Adeas Acta Accademiæ Pariſ. ad an.1709 Memoires pag.187: Leges redargui -- *Les Idées tant decriées . . . d'attraction*. Ibidem D. Saurin æquè deprecatur, & tenebras Peripatetiſmi Arabici, & Nevvtoniani Syſtematis attractiones -- *Dont le Ciel nous veville preſerver* -- Adeas Acta Trevoltientia ad an.1743 p. 2584. -- *L'Idée commune eſt, que le Nevvtonien, pur Nevvtonien, eſt trop Geometre pour etre Phyſicien*: Et p.2585 -- *Nevvton luì meme, a qui la Geometrie en doit de ſi belles (Decouvertes) a bien plus appaurì la Phyſique, que il ne l'a enrichie. C'eſt que la Geometrie chez Nevvton ſervoit bien plus a envelopper, o obſcurcir, ou a detruire les vraies Idées de Phyſique &c.* & pag.2630 *Nevvton n'à pu eviter de tomber dans une infinitè de contradictions tacites, ou formelles* -- Et ad an.1744 p.257. -- *La Maniere de Nevvton eſt de donner tout pour des faits, ou pour demonſtration* -- Et pag.266 -- *On peut juger par ce petit echantillon de combien d'hypotheſes eſt chargè le Syſteme Nevvtonien, de la multiplicitè des contradictions, qui en doivent ſuivre, & de la deference trop credule (qu' il nous ſoit permis de le dire) de tous ceux, qui veulent bien s'en contenter, ou s'en forger un' Idée magnifique* -- Et ad an. 1745 Art.XCVII pag.1650 -- *Nevvton, qui a pretendu tout demontrer par la Geometrie, ou par l'experience, a entaſsè plus d'erreurs, que Deſcartes, qui n'a donnè modeſtement ſes penſées, que pour des Hypotheſes, & de Syſtemes* -- Lege etiam, ſi vacat Ep.217 Tom.2. Leibnitii ad Bernoullium datam an. 1714 -- *Multi illic* (in Britannia) *Viri præclari adulatorum Nevvtoni temeritatem parum probant . . . Mihi conſilium eſt edere aliquod commercium literarum mearum, unde apparebit, quam in aliis quoque* (nempe forte ad Phyſicam, & Metaphyſicam ſpectantibus) *Nevvtonus tenuis fuerit* -- Diſſenſum Anglorum vere aſſertum fuiſſe a Leibnitio teſtantur, tum alia, tum Liber Examinis Principiorum Philoſophiæ moder-

Digitized by Google

Os torquet, *ſubſannat*, *irridet* Terræ quietem „cum tanta Dei loquentis injuria, metuendum illi eſt a divina increpatione, qua Cap.38 Job *Reſpondens Dominus de Turbine dixit*... *Numquid tu noſti ordinem cæli*, *aut pones rationem ejus in Terra*? Hæc omnino fugienda arbitramur, etiamſi imperitorum vulgo, & ſuperſtitioſorum accenſendi ſimus a Wolfio, qui in El. Aſtr. Part.2. Cap.3. in fine ita nos ſugillat = *NULLA RATIO*, *SED SOLA SUPERSTITIO ſuadet Solem circa tellurem moveri*, *terram vero quieſcere* = Nos tutius illi credimus, cujus *verbo Cœli firmati ſunt*, *&* *ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum* = Pſal. 32. = *Sanctam Scripturam in ſummo*, *ac cæleſti auctoritatis culmine collocatam*, *de veritate ejus certus*, *ac ſecurus legam*, inquit Aug. Ep.82., Etenim, ut monet de Doctr. Chriſ. l.1. cap.37. *Titubabit Fides*, *ſi Divinarum Scripturarum vacillet auctoritas*: Utinam autem non ſæpe contingeret, quod ibidem refert = *Fit neſcio quomodo*, *ut* (quis) *amando ſententiam ſuam*, *Scripturæ incipiat offenſior eſſe*, *quam ſibi* =

Atque hæc quidem maxime in Proteſtantes, quibus Patrum autoritas ſancta non eſt. A Catholicis autem Copernicanis hoc enixius poſtulamus, ut ſedulo animadvertant, num admiſſa Copernicana Scripturarum interpretatione, poſſimus tuto deſcendere in arenam cum Socinianis, aliiſque permultis Hæreticis? Si enim licet Copernicanis conſueta interpretatione *ſenſus popularis*, *non ſcientifici* eludere ſcripturæ Teſtimonia, quorum amplius ſexaginta

---

dernæ Ed. Cantabrigiæ an.1727., ubi Auctor Anglus Philoſophiam Nevvtonianam acriter carpit -- *tamquam magis ſpeculationibus Geometricis*, *quam exactis ratiociniis refertam*: *plura in ea occurrere poſtulata precaria*, *&* *abſtractiones arbitrarias*, *quam leges Naturæ reales*, *ac Theoremata Philoſophica*, *omnemque linearum*, *&* *angulorum*, *virium inſitarum*, *&* *centralium apparatum in Phyſica Aſtronomia Nevvtoni non eſſe niſi Fabulam Theatralem*, *nullam vero habere extra Cerebrum realitatem* -- Hæc cum laude referunt Acta Lipſiæ ad an.1729: Mitto alia plura, & plura, quæ eſſent ad manum.

Jam ex hoc non tam Choro, quam Arena digladiantium *Prophetarum*, quos Duces dabit Wolfius ſequendos nobis in hac Controverſia? Satius itaque habebimus ſequi conſentientes SS. PP. in Scripturæ interpretatione ſecundum obvium ſenſum, quam diſſentientes Philoſophos, aut Aſtronomos; qui *dum ea quæ opinantur*, *defendere*, *quam corrigere malunt*, *Scripturæ Sanctæ autoritatem frangere conantur*, QUA UNA OMNES CERVICES SUPERBÆ, DURÆQUE FRANGUNTUR. S. Auguſt. de S. Virginit. c.17. Tom.VI.

Digitized by Google

ginta indicat Ricciolius L.9. Almag. ſect. IV. conſenſu omnium SS. PP. confirmata, in Controverſia, in qua pro neutra parte ſunt demonſtrationes vel Mathematicæ, vel Metaphyſicæ, ſed ad ſummum aliis rationibus inferioris ordinis utrinque pugnatur: ſi inquam ita eludere liceat tam multa, tam clara Scripturæ Teſtimonia, quid reſpondebimus Sociniano interpretanti Teſtimonia Scripturæ, quæ nos obiicimus, ut probemus Verbum ante Incarnationem fuiſſe Perſonam ſpecialem, non vero ipſam tantum Sapientiam eſſentialem Patris, ſive Perſonam(*a*)ut Socinianus docet, in ſenſu ſolum populari? Spiritum Sanctum eſſe ſpecialem Perſonam, non vero Energiam quamdam Patris, ſive Perſonam ſolummodo metaphoricam, ut idem Socinianus aſſerit? Multa ſunt Teſtimonia Scripturæ contra Socinianum; Multa contra Copernicanum: Clara illa ſunt, ſed & hæc ſaltem non minus clara: Patres ſunt contra, & Copernicanum, & Socinianum: In hoc Cauſa Sociniani plauſibilior erit Cauſa Copernicani, quod Socinianus pro ſe habeat non quaſdam conjecturas, ſed quantum eſt ex primo aſpectu, principium Metaphyſicum per ſe notum, *Quæ ſunt eadem uni Tertio, ſunt eadem inter ſe*, & ſexcenta Sophiſmata difficillima, quæ exinde colliguntur in ingenioſis Socinianorum Libris, qui in Fratrum Polonorum Bibliotheca collecti ſunt. Optandum eſſet, ut Copernicanus cum Sociniano congrederetur: Fatemur ingenuè non eſſe nobis tantum virium, ut poſita interpretatione Copernicana, Socinianos impetus ſuſtineamus; aut aliorum etiam Hæreticorum in non paucis difficilibus controverſiis, Sacræ Scripturæ auctoritate definiendis.

PARS

(*a*) Michael Servetus Hiſpanus, qui meritò habendus eſt Antitrinitariorum Recentium, ideoque & Socinianorum Princeps, in Reſponſione ad Articulos Calvini, quæ extat inter Calvini Opuſcula Theologica pag.610: *Secundam Perſonam in Deitate olim dictam Perſonam, eo quod eſſet perſonalis repræſentatio hominis Jeſu Chriſti hypoſtaticè jam olim in Deo ſubſiſtentis, ac in ipſa Deitate viſibiliter relucentis*. Idem pag.50. reprehendens Catholicos, qui ex illo Joannis c.1. *Et Verbum erat apud Deum*: colligunt Verbum diſtinctam eſſe Perſonam a Patre: *Sana*, inquit, *Chriſti Doctrina aliter intelligit Verbum fuiſſe apud Deum: quia ſcilicet Sacramentum hoc erat ab initio reconditum in Mente Divina, donec venit plenitudo, temporis*; Georgius Baldrata in Pſeudoſynodo habita Albæ Juliæ an. 1568. in Actis VI diei, *Verbum illud non aſſerimus Filium aliquem fuiſſe, ſed Dei Rationem agendi, ſive voluntatem, mentemque, quam habuit de exhibendo nobis Redemptore ex Semine David*.

Digitized by Google

PARS TERTIA.

De Regula Honeſtatis, ſive Theoria Actionum Humanarum, Omniſque Naturalis Juris à Chriſtiano Wolfio propoſita in Philoſophia Practica Univerſali.

NIHIL frequentius legas apud Scriptores Proteſtantes Hugonis Grotii ætatem ſecutos, quam ut Juris Naturalis ſcientiam apud ſuos exortam fuiſſe, excultam, amplificatam præſeferant: contra verò apud Catholicos, aut nullam fuiſſe, atque adeo eſſe, aut in Theologorum *vaſtis, ac barbaris voluminibus*, (ita quippe Chriſtianus Thomaſius (*a*) loquitur,) tamquam in luto jacere, nullis utilium quæſtionum controverſiis, nullis ſolidarum rationum momentis, nulla forma, dilucidaque methodo pertractatam. Hæc qui legunt incautius, parum aberunt, quin dubitent, ſteterit ne Chriſtus promiſſis, quibus ſe ſe devinxit Eccleſiæ ſuæ? Nam hoc quale tandem eſt, ut Paſtores, & Doctores in opus Miniſterii promiſſos *ad Ephesios* 4. dederit Chriſtus Eccleſiæ, in ſcientia autem Naturalis Juris, hoc eſt dirigendis moribus maxime neceſſaria, non dederit? Itaque ut hujuſcemodi voces plenæ falſitatis, & periculi, (quas improvidi Juniores facile ſorbent, credulitatis errore capti potius, quam culpa,) aut minus facile, quantum per nos fieri poterit, aut certè ſine merita cenſura non invaleſcant, placet in ſpecimen ſeligere *Philoſophiam Practicam Univerſalem* Chriſtiani Wolfii (*b*), hoc eſt ut ipſe exponit in Titulo, & Pro-

---

(*a*) In Tractatione Juridica de Jure Aſyli Legatorum Ædibus competente: Halæ Magdeburgicæ 1730.

(*b*) Non defuere, inquit Wolfius in Præfatione ſcripta an. 1738. qui ſaltem Theoriam Actionum humanarum demonſtrationis legibus ſubjici poſſe agnoverunt, quos inter Lockium, & ipſi aſſentientem Leibnitium nominaſſe ſufficiat; nemo tamen hactenus auſus eſt adire Corinthum. Hæc ibi Wolfius; qui in Diſcurſ. Prælim. ad Philoſophiam in genere cap. 3. §. 70. Philoſophiam inquit, PracticamUniverſalem methodo Mathematica conſcriptam dedi an. 1703 in Accademia Lipſienſi: - Tum amplificavit, & vulgavit 1739. in Italia, Typis Veronenſibus.

Digitized by Google

Prolegomenis, *Theoriam Actionum humanarum committendarum, omniſque Juris, ac obligationum omnium principia a priori demonſtrata Geometrica methodo*; Cujus Philoſophiæ partes agnoſcit §. 3. *Jus naturæ*, ac *Gentium*, *Ethicam*, *Oeconomicam*, *Politicam*: (*a*) Spiſſum Opus, obſcurum, implexum, ac tortuoſum: Cæterum, ſi ea tantum in hoc Wolfii Opere expendas, quæ fundamentalia ſunt, quæque ſi ſemel conceſſeris, turpiſſima ſecum conſectaria trahunt, honeſtatis totius everſiva, facile de univerſæ hujus Philoſophiæ Practicæ pravitate diiudicabis. Nemo eam, quod ſciamus, hactenus animadvertit. Nobis autem, ut in eam ſtudioſius inquireremus, cauſam dedere, quæ Wolfius habet, nec obſcure, nec diſſimulanter in Præfatione data Marburgi Cattorum 1738. „ Fæcunda, inquit (In hac Philoſophia Practica) ſparguntur ſemina, quæ „ lætam ſegetem, meſſem uberrimam in ſequentibus promittunt. Ampliorem demonſtramus libertatis in actiones humanas influxum, quam vulgo agnoſcitur, præſertim quoad „ uſum facultatum inferiorum, & operationes intellectus.... „ Hactenus... latuit perfectio accidentalis uſus facultatum, „ quatenus a libertate animæ dependet, obtinenda... Intra „ limites nimis anguſtos coarctata hactenus fuit lex naturæ cum „ jure, & obligatione naturali.... Doctrinam enucleatam „ iis profuturam confidimus, qui aliorum conſcientiæ præ„ ſunt, præſertim ubi Praxis acceſſerit „ Hæc Wolfius, qui noſtro judicio, hoc tandem perfecit, ut methodi, quemadmodum vocat, Geometricæ novis ambagibus antiquos errores ſuſcitaverit, quos vetus illud brevi complectitur: *Omne juvans ſtatuit Juppiter eſſe pium*: quoſque ex Græcis ſecuti fuerant Ariſtippus, Theodorus Atheus, Democritus, Pyrrho, Diogenes, Epicurus, Archelaus: ex Romanis Brutus, Horatius, aliique Epicuræi: ex Chriſtianis Spinoſa, Hobbes, & Auctor Aloyſiæ Sigeæ; de quibus legenda Samuelis Cocceii Diſſert. XII. Proœmialis

(*a*) Idem Wolfius in Diſcurſ. Præl. §. 68 Facile patet, inquit, Jus Naturæ eſſe Theoriam Philoſophiæ Practicæ, Ethicæ ſcilicet, Politicæ, atque Oeconomicæ; Quamobrem, cum non opus ſit Theoriam à Praxi diſtinguere, Jus Naturæ in ipſa Ethica, Oeconomica, Politica tradi poteſt.

Digitized by Google

mialis ad Grotium §. 40. & quæ ibidem indicantur in Notis.

Quinque præſtanda ſuſcipimus I. Exponemus Syſtema Wolfii. II. Impugnabimus, III. Opponemus Syſtema ex Catholica Theologia excerptum. IV. Hoc ipſum cum reliquis Proteſtantium hac in re Syſtematibus comparabimus V. In quaſdam Notiones a Wolfio uſurpatas dabimus Animadverſiones aliquas Criticas.

§. I.

Exponitur Syſtema Wolfii ad pauca quædam capita revocatum.

DEFINITIO. „ Actiones tam Animæ, quam Corporis „ dicuntur Naturales, vel Neceſſariæ, quæ per eſſen„ tiam, ac naturam Animæ, & Corporis determinantur: Ita „ Motus Cordis actio naturalis eſt, cum per ſtructuram Cordis, „ & Naturam Corporis Humani determinetur: Liberæ autem „ appellantur, quæ per eſſentiam, ac Naturam Animæ, ac „ Corporis non determinantur, ſed a libertate Animæ pen„ dent „ Wolfius Philoſophiæ Pract. Univerſalis §. 12.

LEMMA I. „ Uſus facultatum Animæ, & organorum „ Corporis, quemadmodum & uſus rerum naturalium omnium „ ſunt fines a Deo intenti. Wolf, ibidem §. 46.

LEMMA II. „ Si Agens ideo agit, ut actu conſequatur „ eum uſum, quem habere poſſunt facultates Animæ, & „ organa Corporis, uſus in finem abit, ſeu rationem finalem; „ & Actiones liberæ determinantur per eaſdem rationes fina„ les, per quas determinantur naturales: ſecus autem, ſi quid „ diverſum intendat: Utrumque autem contingere poteſt, „ quod Actiones liberæ determinentur, tum per eaſdem, tum „ per diverſas ab iis rationes finales, per quas determinantur „ naturales. „ Wolf. §. 45. 47. & 48.

Obſervatio. Qui ſint hi uſus, explicat Wolfius „ Senſus, „ inquit, hunc habent uſum, ut eorum quæ ſunt, & fiunt in „ Univerſo, cognitionem acquiramus. Quod ſi igitur agimus „ quidpiam, ut cognitionem cujuſdam, quod in Univerſo eſt, „ vel contingit, nobis acquiramus, ſenſu duce, cognitio iſta „ finis eſt, quem intendimus. „

Digitized by Google

Animadvertendum hanc cognitionem experimentalem, ſenſu duce, eſſe pro diverſitate objectorum, ac ſenſationum voluptuoſam Corpori, aut doloriferam: Wolf. §. 14, & 15.

Pergit Wolfius, & poſtquam explicuit citatis verbis uſus particulares ſenſuum ſingulorum, de omnibus collectivè hæc habet. „ Similiter, *inquit*, organa vitalia ſimul ſumpta hunc „ habent uſum, ut eorum functionibus vita conſervetur. Quan„ do itaque vitæ conſervandæ gratia quid agimus, & functio„ nes organorum vitalium eo dirigimus, conſervatio vitæ fi„ nis noſtræ actionis eſt: *tum addit* „ In utroque caſu, & in „ omni reliquo agens ad uſum rei, quem habere poteſt, tendit „ tamquam ad finem, qui eſt *uſus* ex parte rei, veluti ex parte „ ſenſuum, ac organorum vitalium, *finis eſt* autem ex parte „ Agentis, qui uſus iſtius compos fieri deſiderat. „ Hæc Wolfius §. 45.

Tum ſequenti §. 46. „ Quin uſus facultatum Animæ, & „ organorum corporis ſint fines a Deo intenti dubitari nequit. „ Ita cognitio eorum quæ ſunt, ac fiunt in Univerſo, ſibi acqui„ renda, & conſervatio Corporis ſunt fines, quos Deus inten„ dit, dum hominem produxit, cui inſunt Senſus, & Organa „ ſenſoria, atque vitalia, ac ideo dicendus eſt dediſſe Animæ fa„ cultatem ſentiendi, Corpuſque inſtruxiſſe organis ſenſoriis, „ ac vitalibus, ut homo eorum, quæ ſunt, & fiunt in Univerſo, „ hoc eſt cognitionem rerum creatarum hiſtoricam acquirere, „ vitamque ſuam conſervare valeret. = Hæc Wolfius: omnes autem, ſive eum, qui Eccleſiaſtis cap.2. dicebat, *Feci mihi Cantores, & Cantatrices, & delicias Filiorum hominum, omnia, quæ deſideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui Cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in his, quæ præparaveram*, ſive eos, quorum erant illæ voces Sapientiæ cap.2. *Venite ergo, & fruamur bonis, quæ ſunt, & utamur creatura, tamquam in juventute celeriter: vino pretioſo, & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis: coronemus nos roſis, antequam marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra: nemo noſtrum exors ſit luxuriæ noſtræ, ubique relinquamus ſigna lætitiæ*: hos, inquam, omnes memineris nihil ſibi aliud voluiſſe, niſi eam, ut Wolfius mitiſſimo vocabulo appel-

lat

lat, *Hiſtoricam cognitionem rerum creatarum, ſenſu duce*; quæ eſt cognitio experimentalis ſive ſenſatio voluptuoſa. Huc enim ſpectat illud Auguſt. L.22. de Civ. cap. 30. „ Scientiæ malorum duæ ſunt: una qua potentiam mentis non latent per ſapientiæ doctrinam; altera, qua experientis ſenſibus inhærent per inſipientis peſſimam vitam &c. &c. „

Neque aliam limitationem in Wolfio reperire potuimus, quam quæ ſupra citatis verbis habetur, & ex vitæ conſervatione ducitur; quam Spinoſa, & Hobbes etiam agnoſcunt. Cum enim ſingulorum ſenſuum uſus ab abuſu diſtinctus, & finis a Deo intentus, ſit experimentalis cognitio, ſeu ſenſatio; omnium autem ſenſuum, & facultatum, & organorum ſimul ſumptorum uſus, & finis ſit vitæ conſervatio, hinc fiet, ut quoties ſenſatio eſt ex. gr. cibi ſapidi, ſed noxii, toties erit contra uſum, & finem organorum, ac facultatum, proinde neque a Deo intenta. Vide Wolfium §.47, 48, 55: At ſi illi ſenſuum ſingulorum uſus, non adverſentur conſervationi vitæ, imo eam juvent, ac foveant, erunt fines a Deo intenti. Iidem appellantur a Wolfio *Actiones Naturales Corporis qua vivi*: Vide §. 48. & 49.

THEOREMA: „ Actiones liberæ, quæ ad perfectionem „ noſtram, ſtatuſque noſtri ſimul tendunt, ac proinde bonæ „ ſunt, determinantur per eaſdem rationes finales, per quas „ determinantur naturales: quæ ad imperfectionem noſtram, „ ſtatuſque noſtri ſimul tendunt, proindeque malæ ſunt, de„ terminantur per diverſas: *Et convertendo*. Si Actiones libe„ ræ per eaſdem rationes finales determinantur, per quas de„ terminantur naturales, ad perfectionem hominis tendunt, & „ bonæ ſunt: ſi vero determinantur per diverſas, ad imperfe„ ctionem ejuſdem tendunt, & malæ ſunt „. Wolfius §. 49, 52, 54, & 55.

Obſervatio: Theorema hoc, Wolfio judice §.54, *Fœcundiſſimum eſt in Philoſophia Practica Principium*; Huic innituntur quæcumque in hoc Opere docet, de Differentia Actionum humanarum, de Obligatione, ac Lege Naturali, de Legis Naturæ Auctore, Præmiis, & Pœnis, de Beatitudine, ac Felicitate hominis, de Conſcientia, de Imputatione Morali. Hinc il-

Digitized by Google

lud Theorema §.179. *Determinatio actionum liberarum per eaſdem rationes finales, per quas determinantur naturales, non vero per diverſas, eſt Principium cognoſcendi Legum Naturalium, omniſque Juris Naturalis*: Theorema aliud §.154. *Lex Naturæ nos obligat ad determinandum actiones liberas per eaſdem rationes finales, per quas determinantur naturales, non veroper diverſas, ſeu obligat ad non determinandum per diverſas*: Iterum monet, *Principium hoc fœcundiſſimum eſſe in doctrina Juris Naturalis*.

Hæc Theoria videtur nobis conſentire cum Propoſitione XXXV. Benedicti Spinoſæ in Ethices Par.IV. „ Quæ efficiunt ut motus, & quietis ratio, quam corporis humani partes ad invicem habent, conſervetur, bona ſunt: & ea contra ſunt mala, quæ efficiunt, ut corporis humani partes aliam ad invicem motus, & quietis habeant rationem: „ Tunc enim, ut addit in Scholio, Corpus mortem obit: „ Verum de conſenſu Wolfii cum Spinoſa, Hobbes, aliiſque hujuſmodi Philoſophis infra commodius.

§. II.

Syſtematis Impugnatio.

ERrorum radix in hoc Wolfii Syſtèmate eſt Lemma propoſitum: „ Uſus Facultatum Animæ, & Organorum Corporis ſunt fines a Deo naturæ Auctore intenti „ (*a*). De quo Lemmate uſurpare poſſumus illud Auguſtini de Natura Boni contra Manichæos cap.45. *Quis non videat, quis non exhorreat, quanta turpitudo, & quam nefaria conſequatur?* Cum enim ex his uſibus alii ſint conformes Legi Divinæ, ſive Humanæ juſtæ, alii verò difformes, nequit ſine impietate indefinitè dici, quod ſint a Deo intenti. Qui enim difformes ſunt, eos uſus non vult Deus, cujus illa ſunt verba Iſaiæ 65. *Faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui elegiſtis*. Et cap.66. *Quæ nolui, elegerunt*. Naturæ ſunt voces de Divina Sanctitate recte ſentientis, quæ Auguſtinus habet Enchi-

---

(*a*) Idem Wolfius Theologiæ Naturalis Part. I. cap.IV. §. 648. *Cæterum*, inquit, *ſuo loco conſtabit, quantum proſit in Praxi, uſus quoſcumque rerum naturalium referre in Fines a Deo intentos*. Prodeſt utique, ſed iis, quorum Deus venter eſt.

Digitized by Google

Enchirid. cap.100. *Cum Angelica , & Humana Natura peccaſſet , ideſt non quod ille , ſed quod voluit ipſa feciſſet .... factum eſt, quod Creator noluit .... Quod Deus noluit, fecerunt ... Contra voluntatem fecerunt ejus .... Contra ejus fit voluntatem : Quamquam hoc ipſum* , ut idem Auguſt. loquitur , *non fieret , ſi non ſineret: nec utique nolens ſinit , ſed volens* .

Huc facit Bonorum partitio , quam Philoſophice æque , ac Theologice exhibet Auguſtinus Lib.2. de Li. Arb. cap.18 , & 19. „ Virtutes igitur , quibus recte vivitur, magna bona ſunt : ſpe„ cies autem quorumlibet corporum , ſine quibus recte vivi po„ teſt , minima bona ſunt: potentiæ vero animi , ſine quibus „ recte vivi non poteſt, media bona ſunt. Virtutibus nemo ma„ le utitur , cæteris autem Bonis , ideſt mediis , & minimis , non „ ſolum bene, ſed etiam male quiſque uti poteſt „. Ex Bonis corporeis recenſet peculiariter Auguſtinus organa Corporis manus, pedes , oculos, quibus „ plerique pleraque agunt turpi„ ter, & eos militare cogunt libidini „.

Hinc gradum facimus ad Theorema Wolfii, ex cujus veritate exiſterent turpiſſima confectaria , quæ rationalem Societatem , ac debitam Divinis , Humaniſque Legibus obedientiam perturbarent. Etenim cum multiplex uſus earum facultatum , & organorum pravus ſit , ac fugiendus, ut demonſtratum eſt, non idcirco perficietur homo , ejuſque actiones bonæ erunt, quòd rationem ſui finalem habeat uſum facultatum , & organorum . Quin etiam ſæpenumero continget , ut turpiſſimus ille uſus ſit , quamvis vitæ conſervationi nulla ex parte adverſetur , imò vero eam juvet magnopere . Vid.L.2. Reg. c.13. de morbo Amnon . Quammulta occurrunt , in quibus propter obedientiam Legis, ſive Naturalis, ſive Poſitivæ, aut Divinæ, aut Humanæ, in Bellis præcipuè,tum aggreſſivis, tum defenſivis præſtat , *Deo dilecto emori , quam contempto vivere* ? Aug. Tract.51.in Joannem .

Hæc quamquam clariſſima ſint, lucem adhuc uberiorem accipiunt ex diſcrimine hominum a belluis , quod explicat Auguſtinus Lib.19. de Civitate Dei cap.14. „ Si irrationabilia eſ„ ſemus animantia , nihil appeteremus præter ordinatam tem„ peraturam partium Corporis, & requiem appetitionum.... „ Sed quia homini rationalis anima ineſt, totum hoc, quod ha„ bet

„ bet commune cum beſtiis ſubdit paci animæ rationalis, ut „ mente aliquid contempletur, & ſecundum hoc aliquid agat; „ ut ſit ei ordinata cognitionis, actioniſque conſenſio, quam „ pacem rationalis animæ dixeramus. Ad hoc enim velle de- „ bet, nec dolore moleſtari, nec deſiderio perturbari, nec mor- „ te diſſolvi, ut aliquid utile cognoſcat, & ſecundum eam co- „ gnitionem vitam, moreſque componat. „ Quod ſi neceſſita- tis articulus incidat „ omnia corporalia mala pro Fide pieta- „ tis, & commendatione veritatis eſſe toleranda ;„ ait idem Auguſtinus Lib. 10. de Civit. cap. 32. „ Nec ipſam mortem pec- „ cato eſſe vitandam, ſed potius, ſi facultas datur, pro juſtitia „ perferendam. „ Aug. L 10. de Civ. cap. 24.

Hæc petita ſunt ex ipſis Naturalis Juris fontibus, quibus ſcilicet ſe mirifice delectari dicunt Adverſarii noſtri. Ex eodem Naturæ Jure Argumentationem aliam ſuam hauſit Auguſtinus Lib. 19. de Civit. cap. 3. & 13. „ Quoniam animi æquitas, & „ corporis ſalus, utrumque bonum eſt, bonique amiſſione do- „ lendum eſt potius, quam lætandum, ſi tamen non ſit com- „ penſatio melioris: melior eſt autem animi æquitas, quam Cor- „ poris ſanitas.... hinc eſt.... quod virtus, ideſt Ars regendæ „ vitæ.... quædam minora, ſi neceſſitas poſtulet, propter majo- „ ra, vel adipiſcenda, vel tenenda contemnat: omnium autem „ bonorum vel animi, vel corporis nihil ſibi Virtus omnino „ præponit. „ Alius eſt itaque finis longe dignior, quem reſpi- ciat rationalis creatura, quam ſui conſervatio per uſum faculta- tum, & organorum.

Sæpe cogitavimus, num poſſet Syſtema Wolfii in bonum ſenſum detorqueri, aut reformari? num exponi poſſet de *uſu* non quocumque, ſed *bono*, & quem ab abuſu diſtinguit idem Wolfius in Theologia Naturali Part. I. cap. IV. §. 645. Cæterum ſi quis ita interpretetur *Philoſophiæ Practicæ* recitata Lemmata, ac Theoremata, quibus totum Wolfii Opus, quaſi cardine, vertitur, ſenſum affinget nimis craſſum, & ineptum, ipſique Wolfio perquam injurioſum, hunc ſcilicet: Eas eſſe *Actiones bonas*, quas Agens operatur propter facultatum, & organorum *uſum bonum*: Nimirum res eo evaderet, ut tanto Definitionum, Lemmatum, Theorematum, Demonſtrationum verboſo, implexoque

que

Digitized by Google

que circuitu, & apparatu, in tam vaſto Opere, cujus ſcopus eſt, primarium diſcrimen tradere Honeſti ab Inhoneſto, nihil aliud fieret, quam ut idem per idem explicaretur, *Bona Actio per bonum uſum*.

§. III.

Verum Syſtema ex Catholica Theologia excerptum.

AC quoniam falſa Juris, ſeu Legis Naturalis Syſtemata clarius refelluntur expoſitione Syſtematis verioris, id præſtabimus per ſeptem Propoſitiones. Sunt illæ quidem ſe ipſis perſpicuæ; cæterum qui earum tum declarationem, tum probationem cupiunt, poſt S. Thomam 1. 2. q.94, legant eximium Suarez de Legibus L.1 & 2. cui reliqui Catholici Theologi fere in re, quantum ad ſubſtantialia, conſentiunt: diſcrepantia enim, quæ vel in vocibus ſita eſt, vel in articulis momenti levioris, tuto contemni poteſt.

Propoſitio I. Quoniam omne intellectivum Agens ex ſui ipſius Natura, Eſſentia, Structura nobis per experientiam cognita agit propter Finem, ſeu Bonum, hinc primum Rationis naturalis dictamen eſt: Bonum faciendum, & proſequendum eſſe, Malum autem fugiendum ex Imperio Auctoris Naturæ.

Corollarium 1. Hoc Mentis humanæ judicium non ſolum manifeſtans res ipſas, ſeu actiones in ſe, ſed etiam ut vetitas, vel præceptas a ſupremo Legislatore, eſt proprie Lex Naturalis in homine exiſtens, eumque obligans: Imperium autem ipſum Auctoris Naturæ eſt Lex Naturalis, ſive æterna in Deo exiſtens: conſtat hinc, quid ſit *Jus Naturale* ſumptum pro *Lege*?

Corollarium 2: Cum iſtud dictamen ſit Præceptum, ſuper quo reliqua Præcepta fundantur, ut loquitur S. Thomas, & ex quo inferuntur, hinc erit *Principium Juris Naturalis cognoſcendi*, de quo tam multa, & obſcura Proteſtantes recentiores Juris Naturalis Scriptores, apud quos, inquit eorum unus Samuel Coccejus Diſſert.XI. Proemiali ad Grotium c.4. §. 20. p.295, *tot fere extant cognoſcendi Principia, ſeu Regulæ, quot ſcribentium Capita*: neque vero aliud intelligunt eo nomine, quam Propo-

Digitized by Google

ſitionem ſub qua, & ex qua reliqua Præcepta comprehendantur, & inferantur (a).

Supereſt, ut bonitas eorum, quæ Lex Naturalis præcipit, vel pravitas eorum, quæ prohibet, ad ſua prima principia diſtinctius revocetur: Sit igitur

Propoſitio 2. Ea, ad quæ habet Homo naturalem inclinationem, ratio naturalis apprehendit, ut ſuo modo bona, ſibique convenientia, proindeque, ut opere proſequenda; Contraria autem ut mala, & vitanda ex ſummi Legislatoris Imperio.

Propoſitio 3. Itaque ſecundum ordinem inclinationum naturalium in bonum, exponi poteſt ordo, & ratio Præceptorum legis naturæ, quæ in primo, & generali Præcepto, de quo in Prop. 1. continentur, & quibus movemur ad ea, quæ proſequenda ſunt, & vitanda contraria.

Propoſitio 4. Eſt Homo individuum quoddam Ens, & in quantum hujuſmodi, inclinatur ad conſervandum ſuum eſſe, ſuumque privatum bonum: Perficitur autem variis præceptis Temperantiæ, Fortitudinis &c. quibus vita hominis conſervatur, & contrarium impeditur.

Propoſitio 5. Eſt Homo individuum quoddam corruptibile, ac mortale, & in quantum hujuſmodi eſt, inclinatur ad conſervationem ſpeciei, & actiones ad illam neceſſarias: Perficitur autem variis præceptis Caſtitatis, Prudentiæ &c.

Propoſitio 6. Eſt denique Homo individuum rationale, & in quantum hujuſmodi, capax eſt immortalitatis, ſpiritualium perfectionum, communicationis cum Deo, & ſocietatis cum rationalibus creaturis: Perficitur autem præceptis Religionis, Juſtitiæ, Pietatis, aliiſque ad hæc ſpectantibus.

Propoſitio 7. At quoniam Vis rationalis in Homine dominatur, & aliis potentiis imperat, oportet ut inclinationes, ſeu propenſiones omnes, ſive ad eſſe privatum conſervandum per Prop. IV, ſive ad propagandam ſpeciem per Propoſitionem V. ſive ad communicationem cum Deo, & rationalibus creaturis per Propoſitionem VI, omnes inquam ſubſint imperio rationis, & ſecun-

(a) Thomaſius Inſtit. Jur. Div. L. 1. c. IV. Ludovici Dub: circa Jus Nat. Fleiſcher de Jur. Nat. & Gen. c. 6. p. 167, Jo. Jacob. a Riſſel de Jur. Nat. & Gen. c. 4. p. 11. Grübner de Princ. Jur. Nat. Proleg. c. 10.

Digitized by Google

ſecundum eam dirigantur = quædam minora, propter majora vel adipiſcenda, vel tenenda contemnendo = ut loquitur Aug. l. 19. de Civ. c. 3.

Corollarium I. Tum actus humanæ mentis (iu quo proprie ſita eſt lex naturalis in homine exiſtens) dictans bona eſſe facienda, mala vitanda ex imperio Auctoris naturæ, tum hoc ipſum Dei imperium, ſupponunt ea bona, & mala ſuam habere propriam, & intrinſecam, ſeu bonitatem, ſeu malitiam, ac deformitatem: Ideo enim illa præcipiuntur, quia bona ſunt; & illa prohibeatur, quia ſunt mala. Iſta deſcendunt ex Propoſitione 1.

Corollarium II. Hæc autem bonitas ſtat in convenientia cum Natura rationali, ejuſque eſſentia ſic conſtituta per eas tres præcipuè inclinationes, quas deſcripſimus: malitia autem, & deformitas ſita eſt in oppoſita diſconvenientia. Conſtant hæc ex Propoſit. 2, & ſeqq.

Corollarium III. Entitativæ hujus bonitatis, ac pravitatis, quæ à lege naturali meretur præcipi, aut prohiberi, ultimum, ſeu fundamentum, ſeu reſolutiuum eſt natura ipſa rationalis, ejuſque eſſentia ſic conſtituta cum iis inclinationibus: Ideo enim hoc eſt bonum dignum, quod præcipiatur, illud malum dignum, quod prohibeatur, quia convenientiam, aut diſconvenientiam habent cum eſſentia, & ſtructura Creaturæ rationalis ſic conſtitutæ ab auctore Deo: Sub qua ratione natura rationalis non omnino præſcindit a divinis perfectionibus. Hæc conſtant ex Propoſitione 3., & ſeqq.

Corollarium IV. Bona hæc, & mala non modo merentur præcipi, ac prohiberi, ſed neceſſariò debent: Licet enim Deus liber ſit ad condendas creaturas rationales, tamen ex hypotheſi, quod habere voluit ſubditos ratione utentes, non poteſt non habere providentiam illorum conſentaneam ſuæ ſapientiæ, ac bonitati; debet ideo eſſe eorum Legislator præcipiens honeſta, neceſſario convenientia eorum eſſentiæ, ac naturæ, & diſconvenientia vetans. Hæc deſcendunt ex Prop. 3. & ſeq. ſuppoſita idea Auctoris Naturæ.

Corollarium V. Actus honeſti, ſeu convenientis naturæ rationali bonitas, quæ præcipi imperio auctoris naturæ meretur, & actus mali pravitas, ſeu diſconvenientia eidem naturæ, quæ vetari

Digitized by Google

tari meretur, ſi præterea & illa reipſa præcipi, & hæc vetari intelligatur, jam ea bonitas, ut præcepta, & malitia, ut vetita per naturæ auctorem, adjungit ſpecialem obligationem creaturæ rationalis ſe ſubjiciendi primo Legislatori, ita ut qui id non faciat, reus ſit offenſæ, & inobedientiæ. Conſtat id ex Corollario IV, ſuppoſitis prioribus Propoſitionibus.

Hactenus ſumma Capita expoſuimus *Juris naturalis*, qualia reperies paſſim ſubtiliter, atque erudite confirmata ante Grotium, & Puffendorfium a Catholicis Theologis: nos enim non niſi ordinem quemdam, ac lucem addidimus. Scimus quæ palam jactantur: Doctrinam Juris Naturalis ante Grotium in luto, ac ſordibus jacuiſſe. Hujus generis convicia, tamquam è plauſtro, jacit in Theologos Catholicos Puffendorfius in *Præfatione* Operis de Jure Naturæ, ac Gentium: eademque acrius confirmat *In Specimine Controverſiarum circa Jus naturale cap.* 2. (*a*) quo in loco S. Thomam, Suarez, Vaſquez, Valentiam, Molinam, Sanchez nominatim contemnit; quorum tamen vix nomina audivit, quantum ex Præfatione, quam citavi, ſuſpicari licet. Nos jure defenſionis hoc unum reponimus, ne intrepidi iſti Scriptores abutantur legentium, præcipuè Catholicorum juniorum, ſimplicitate, illiſque verba impunè vendant, *mixtoque undantem pulvere fumum*: Nimirum, quo certius veritatem aſſequeremur, plurium annorum labore, ac patientia Grotium, Puffendorfium, utrumque Coccejum, Barbeyracium, alioſque majoris nominis non modo perlegiſſe ingenue fatemur, ſed cum Theologis Catholicis diligenter comparaſſe, neque ulla alicujus momenti inveniſſe in his Proteſtantium Libris de Jure Naturæ, ac Gentium, quæ *& Bona, & Nova ſint*. Nova quidem ſunt multa, ſed obſcura, ambigua, inutilia, invalidis rationibus male fulcita, paradoxa, & non modo Catholicæ Religionis, quam *Regnum Tenebrarum* vocat Puffendorfius in *Præfatione*, cuique ſuos Libros adverſari fatetur in *Specimine* cap. 1. n. 7. ſed etiam Juris naturalis everſiva: quare Proteſtantes ipſi ſe, ſuaque mutuo, ac viciſſim improbant in hoc argumento, ac ſugillant. Id præſefert univerſa Introductio ad Grotium novæ Edit. 1751 Lauſannæ, & Diſſertationes XII. ex utroque Coccejo ibi-

(*a*) Extat in Append. ad Tom. 2. Edit Francof. 1745.

ibidem. *Bona* etiam ſunt in his libris multa, ſed quæ longè meliùs, ſolidius, brevius, clarius, felicius a prioribus Theologis declarata jam, & probata erant (*a*) Hinc verè Proteſtantium recentior Samuel Coccejus Diſſert. Proemiali ad Grotium XII. Lib. 1. c. 3. §. 32. *Diſciplinam Juris Naturalis, etſi ſimpliciſſimis, nobiſque innatis conſtet principiis, adeo intricatam reddidere illi, qui de Jure dicto ſcripſerunt* (Horum Proteſtantium Scriptorum Catalogum exhibet ipſe Diſſertatione XI.) *ut ipſa exiſtentia ejuſmodi Juris pluribus ſuſpecta viſa fuerit.*

§. IV.

Expoſitum Syſtema Catholicorum Theologorum comparatur cum reliquis Syſtematibus, non modo Wolfii, ſed reliquorum ex præcipuis Proteſtantibus.

POterit ex Synopſi, quam dedimus, tamquam ex Tabella comprobando deprehendi, quam rectè ſenſerint de Jure Naturali Theologi Catholici: Proteſtantes autem, vel eadem à Catholicis tranſcripſerint, vel ſicubi ab iis diſceſſere, recte poſita mutilaverint, atque obſcuraverint, aut in plura falſa, abſurda,

 morum-

(*a*) Is, cui fortaſſe vacaverit, conferat, ſi placet, Puffendorfii Caput primum *De Origine, & Varietate Entium Moralium* cum iis, quæ jam docuerat Suarez in 1. 2. Tract. 3. Diſp. 1. *Quid ſit Moralitas in Actu Morali, & in cæteris rebus, quæ Morales denominantur*: Non dubito, quin dicturus ſit alterum ab altero idem differre, quod lux à caligine. Atque hoc quidem eò magis mirandum eſt, quod uſque eo Puffendorfius ſe de hac Entium Moralium Tractatione amat, magnificeque circumſpicit, ut totus, quantus eſt, Paragraphus primus in ejus novitate, utilitate, neceſſitate commendanda inſumatur; recentiſſime autem Gottfridus Maſcovv in Præfatione ad novam editionem 1744. intrepidus aſſeruerit, Puffendorfium primo omnium expoſuiſſe naturam entium moralium; Hæc Itali Juniores in libris Proteſtantium Exterorum *de Jure Naturæ, aut Publico* legunt, credunt, mirantur præ iis, quæ docentur à Doctoribus Catholicis, a quorum contemptione, ac deſpicientia ad Religionis vilipendium proximus eſt gradus.

Digitized by Google

morumque regulis adverſantia dilapſi ſint. Quod an ita ſe habeat, commodius adhuc definies ex præcipuorum hac de re Syſtematum ſerie, quam jam ſubjicimus.

Nicolaus Hemmingius de Lege Naturæ Apodictica Methodo Concinnata Ed. Witembergæ 1564. Regulam generalem legum Naturæ hanc ponit: Quidquid convenit Naturæ, & fini hominis, quoad vitæ genus tum œconomicum, tum politicum, tum ſpirituale, & quidquid ad ſtatus illius conſervationem pertinet, id eſſe Juris Naturalis.

Benedictus Wincklerus an. 1615. decem annis ante publicatum Grotii opus, edidit libros V. Principiorum Juris: Legem Naturæ eſſe ait eam rationem, quæ gubernat hominem, ut ſecundum naturam homini a Deo datam cum ratione vivat, ut homo, per amorem Dei, & hominis ſub pœna privationis bonorum, & inflictionis malorum.

Hugo Grotius de Jure Belli, & Pacis ed. 1625. lib. 1. c. 1. n. 10. Jus naturale, inquit, eſt dictatum rectæ rationis indicans actui alicui ex ejus convenientia, aut diſconvenientia cum ipſa Natura rationali ineſſe moralem turpitudinem, aut neceſſitatem moralem, ac conſequenter ab auctore Naturæ Deo talem actum, aut vetari, aut præcipi: Quæ iiſdem verbis docuerat Suarez lib. 2. de Legibus, ubi longe copioſius, ac nervoſius rem omnem ad prima principia revocat, cujus nos veſtigiis inhæſimus in Synopſi ſuperiori.

Seldenus Grotii Coæuus, & æmulus vulgavit Syſtema de Jure Naturali, & Gentium juxta diſciplinam Hebræorum: Principium Jurium Naturalium agnoſcit Cuſtodiam ſocietatis humanæ = Præcepta vero, quæ eo pertinent, putat a priori demonſtrari non poſſe ex natura rationali nimis depravata, ſed ex ſeptem præceptis Noachidarum.

Benedictus Spinoſa Tractatu Theologico-Politico cap. 16. & Parte 4. Ethices, Hominem in ſtatu naturali jus habere ad omnia, ad quæ facultates ipſius naturales ſe extendunt; id autem limitari tantum a revelatione, aut pacto, quibus ſe ſe ſubjecerit in proprium commodum. Hinc Eth. par. 4. prop. 18. in ſcholio = Hoc principium, quod ſcilicet unuſquiſque ſuum utile quærere tenetur.. virtutis, & pietatis eſſe fundamentum = & prop. 45. in ſcholio = nihil

„ Nihil, niſi torva, & triſtis ſuperſtitio, delectari prohibet. Nam qui magis decet famem, & ſitim extinguere, quam melancholiam expellere ? Mea hæc eſt ratio, & ſic animum induxi meum. Nullum Numen, nec alius, niſi invidus, mea impotentia, & incommodo delectatur, nec nobis lacrymas, ſingultum, metum, & alia hujuſmodi, quæ animi impotentis ſunt ſigna, virtuti ducit; ſed contra, quo majori lætitia afficimur, eo ad majorem perfectionem tranſimus, hoc eſt eo magis de natura divina participare neceſſe eſt.

Rebus itaque uti, & iis quantum fieri poteſt delectari (non quidem ad nauſeam uſque: nam hoc delectari non eſt,) Viri eſt ſapientis: Viri inquam ſapientis eſt moderato, ac ſuavi cibo, & potu ſe reficere, & recreare, ut & odoribus, plantarum virentium amænitate, ornatu, muſica, ludis exercitatoriis, theatris, & aliis hujuſmodi, quibus unuſquiſque abſque ullo alterius damno uti poteſt. Corpus namque humanum ex plurimis diverſæ naturæ partibus componitur, quæ continuò novo alimento indigent, & vario, ut totum corpus ad omnia, quæ ex ipſius natura ſequi poſſunt, æquè aptum ſit, & conſequenter, ut mens etiam æquè apta ſit ad plura ſimul intelligendum.

Hoc itaque vivendi inſtitutum, & cum noſtris principiis, & cum communi praxi optime convenit; Quare, ſi quæ alia, hæc vivendi ratio optima eſt, & omnibus modis commendanda, nec opus eſt de his clarius, ac prolixius agere,, Hæc Spinoſa prorſus Epicureus. Similia habet Thomas Hobbes in Libro *Leviathan, & alio de Cive*, qui omnes honeſtum ex utilitate metiuntur (*a*), in quod abſurdum recidit Syſtema Wolfii, de quo multa diximus.

 Samuel

(*a*) Hinc Hobbes in cap. 15. ſui Leviathan: Fundamentum, inquit, omnium legum naturalium Naturæ conſervationem: vide a cap. 14. & lib. de Cive cap. 2. Legendus, ubi moroſam delectationem contra Scripturas, & Rationem naturalem docet non eſſe peccatum: Nam in ſuo Leviathan cap. 27. pag. 137. „

Peccatum ergo eſt non ſolum, quod factum, dictum, aut neglectum eſt contra legem, ſed etiam ipſa tranſgrediendi intentio, ſeu propoſitum.

Si quis tamen bona, Servos, Uxorem videns proximi ſui, frui illis cum delectatione imaginatus tantum fuerit, abſque omni intentione, vel conſilio per fraudem, aut vim ea occupandi, peccatum non eſt, neque præcepti *non concupiſces* violatio. Nam jucundi etiam imaginatione delectari ita homini naturale eſt, ut lex, quæ id prohiberet, etiam hominem eſſe prohiberet. „

Digitized by Google

Samuel Puffendorff an. 1672. edidit Opus de Jure Naturæ ac Gentium; fundamentum Juris Naturalis *Socialitatem* poſuit: Principium ſcilicet ſatis incompletum, & diminutum, & quo non appoſite explicabis Officia hominis, tum erga Deum, tum erga ſe ipſum. Eam autem Socialitatem ita implexè, & obſcure aſſeruit ortum habere ex libera Dei voluntate, ut viſus fuerit docuiſſe, ante eam voluntatem omnia eſſe indifferentia: quæ res magnos illi, & multos adverſarios ex Proteſtantibus conciliavit; vide Maſcovium in Vita Puffendorfii, & hujus multiplices Apologias ad finem Tom. 2. novæ edit. 1744. Ac quamvis, ſi aperte atque ingenuè loquendum ſit, non docuerit Puffendorfius de hac indifferentia eas novitates impias, abſurdas, blaſphæmas, de quibus eum redarguerunt Proteſtantes ipſi, tamen non ſine ſua culpa tam magnam ſibi invidiam conflavit. Communem enim Catholicorum Theologorum ſententiam, de qua Suarez l.2. de Leg. c.6. non conſuetis Scholarum vocibus exhibuit, noviſque, ac barbaris, & impropriis vocibus uſus, errorum monſtra non paucis Proteſtantibus viſus eſt invexiſſe. Mittimus quod habet D. Maſcovv in Vita, quam novæ ed. Puffend. præfixit p. x. = Laſcivire non paucis auctor viſus eſt in capite de Officiis Conjugum = ſive quod notat pag. 10. & 11. Puffendorfium in poſtrema parte Operis, ubi de Jure Publico univerſali, ſeu Juribus Majeſtaticis, docere cum Hobbes neminem criminoſum ad pœnam ſubeundam obligari, quod Maſcovv merito *Errorem* vocat: mittimus alia quamplura.

Bodinus Profeſſor Hallenſis in Diſput. de Jure Mundi baſim, ac fundamentum omnis Naturæ, ac Moralitatis docet Ordinem rerum creatarum, vel ab ipſo Creatore, vel a Creaturis intelligentibus conſtitutum.

Richardus Cumberland Diſquiſitione Philoſophica de Lege Naturæ eam revocat ad dilectionem Dei, & Proximi.

Wachterus *De Jure Naturæ Humanæ* Jus Naturæ ſtatuit id, quod hominem decet, quatenus homo eſt.

Zentrgravius de Origine Jur. Natur. Art. 9. illud ſtatuit in Conformatione Hominis cum Creatore

Valentinus Alberti, tum in Compend. Jur. par. 1. C. 1. & 2, tum in Specim. Vind. con. Puffend: in Conformitate cum ſtatu Integritatis, ſive cum reliquiis Imaginis Divinæ

Kulpis

Digitized by Google

Kulpis Exercit. I. ad Grot. Th. 6 in Voluntate Dei cognoſcenda ex fine Mundi, vel ex fine hominis conditi, uti Scharrock de Offic. ſecund. Jur. Nat. Rachelius in Diſp. Juris Nat. 1. §. 102 Muldener in Diſſert. de Juris Naturalis Defin. & Fundam. De quibus, aliiſque opinionibus legendi Rheden in Diſp. de Cauſ. oblig. & Modo cognoſc. Jus Nat. Wernherus in Elementis Juris Nat.

Henricus Liber Baro de Cocceii dicitur à Samuele Filio Diſſert. Proem. X ad Grotium à §. 1 & ſeqq. Novum Juris Naturalis Syſtema propoſuiſſe: Homines potentiis agendi à Natura Inſtructos licite agere, vel omittere quidquid poſſunt, donec aliquis, qui prohibere rectè poteſt, prohibeat aliquid agi vel omitti, quo illud tum illicitum ſit, & injuſtum dicitur: Jus hoc prohibendi competere ſoli rerum Creatori, & cui id conceſſum voluit. Hanc itaque Voluntatem Creatoris normam eſſe juſti, & injuſti, quatenus voluit =

Samuel de Cocceii Filius Diſſert. Proemiali XII ad Grotium exhibere ſe dicit novum Syſtema Juſtitiæ Naturalis, & Romanæ, ubi à §. VI Præfat. Dei voluntatem pro Principio unico, vero, & adæquato ponit, quatenus nimirum vult Jus ſuum cuique tribui =

Non eſt omittendum Chriſtianum Thomaſium rejecto Principio Socialitatis, quod propugnaverat in Tract. de Jure Divino Voluntario, novum Principium ſubſtituiſſe, voluntatem Dei jubentis, ut Homines faciant, quæ vitam hominum reddunt maximè diuturnam, & vitent, quæ vitam infelicem reddunt, mortemque accelerant. Lege Thomaſii Fundamenta Juris Naturæ: Satis conſonat Joannes Wilhelm a Lith in Diſſert. de Principio Primo Legis Naturæ = Animadverſione digniſſima ſunt verba Samuelis de Cocceii Diſſer. Proem. XI ad Grotium Cap. IV §. 24. Hoc Syſtema Thomaſii, inquit, plures habuit ſectatores & communiter illud receptum eſſe, experientia docet (a) = Legendi in hanc rem Ho-

(a) Hic enimvero Syſtematis tam pravi, ſoloque nomine non Epicurei propugnator, hic ille eſt Chriſtianus Thomaſius, qui in Tractatione Juridica de Jure Aſyli &c. &c. Halæ 1730 pag. mihi 20, Catholicorum Theologorum *Vaſta*, *& barbara volumina* deridet primo, tum *Sceleſtam Jeſuitarum Doctrinam in Diſciplina Juris Naturalis*, honoris, ut arbitror, gratia appellat. Hi

Hoheiſel Diſſer. de Princip. Jur. Nat. §.10, Schutterus in Diſſert. de Officio Hominis erga ſe ipſum, Bohemerus de Jure Publ. Univ. C.1. §.21, & ſeqq.: Hæc ipſa omninò cohærere cum Principiis Spinoſæ, Hobbes, & Wolfii patet ex dictis,

Horum Syſtematum ſeriem ſi quis diligenter expendat, is facile animadverterit rem ita ſe habere ac præfati ſumus. Etenim quæ rectè, caſtigateque dicta ſunt, ea fuerunt jam dudum præoccupata à Doctoribus Catholicis (*a*), ut vel ex ſerie conſtat noſtrarum Propoſitionum; quæ vero à Catholicis Theologis in diverſum abeunt, ea vel ambigua, & æquivoca, proindeque & obſcura ſunt (*b*), vel ad intentum finem inutilia, vel diminuta, ina-

---

Hic ipſe Thomaſius ex ſuo de Jure Naturæ Syſtemate caſtiſſimum hunc fructum collegit, ut cum aliis Proteſtantibus Juris Naturalis Doctoribus ſolubilem pro libito Concubinatum utroque Jure Naturali, & Divino licitum tueretur integra de hac re Diſſertatione Halæ edita, quam ex ipſis Proteſtantibus impugnavit Vvolfangus Jagerus Cancellarius Tubingenſis peculiari contraria Diſſertatione an.1713, in qua pag. mihi 30 queritur, quod Thomasii, aliorumque magnorum virorum autoritas *tot jam homines in præcipitium egerit, his præſertim temporibus, cum tanta ubique multitudo eſt Epicureorum*.

(*a*) Quare ſi quis Inſtitutiones Juris Naturæ, ac Gentium doctiſſimas, eaſdemque perſpicuas vulgare velit, quod Juventuti Catholicæ opportuniſſimum fore nemo negaverit, ſatis erit hoc unum, ut quæ de hoc argumento ſcripſit Eximius Doctor Franciſcus Suarez, tum in Diſputationibus ad 1.2. S. Thomæ, tum in Tractatu de Legibus, aliiſque in locis, cum ipſiſſimis ejus verbis, ſub certa Titulorum ſerie digereret, atque etiam illuſtraret ſubjectis ad verbum Notis ex Vaſquez, Molina, Leſſio, Valentia, Sanchez, De Lugo, aliiſque in loco deſcribendis.

At deerunt illæ -- *Eruditionis tum Veteris, tum Recentioris copiæ immenſæ* -- quas ex moribus Populorum petitas in Puffendorfio laudat D. Maſcovv in Præfat. ad novam edit. 1744: Quibus reſpondemus: Primum factu eſſe facillimum, ut hæc addantur ex Latinis, Græciſque Hiſtoricis, Græco etiam, ſi placet, ſermone deſcriptis, quemadmodum & Puffendorfio addidit Joannes Nicolaus Hertius Philoſophorum, ac Poetarum dicta. Cæterum nimis nota jam ſunt, quæ impoſturam, non ſcientiam faciunt. Quare ex Grotii, & Puffendorfii laudatoribus Proteſtantibus celeberrimus ipſe Thomaſius ridet paſſim in ſuis Scriptis *eas probationes, quæ à conſuetudine Gentium deſumuntur*. Thomaſio ſubſcribit alter ex Proteſtantibus Jagerus, ejus adverſarius in ſua contra Thomaſii Diſſertationem de Concubinatu an. 1713. pag. mihi 16.

(*b*) Grotium, & Puffendorfium *duos Juris Naturalis, ac Gentium Interpretes palmarios* vocat Barbeyracius in ſua ad Grotii editionem Præfatione, quam

Digitized by Google

inadæquata, incompleta, vel falſa, vel communi quoque Doctorum, etiam Proteſtantium ſenſu abſurda.

§. V.

Ad Notiones quaſdam à Wolfio in hoc Argumento uſurpatas Notæ Criticæ.

EX plurimis, quæ criſin ſeveriorem mererentur, hæc pauca leviter excutienda ſuſcipimus.

I. Bonum eſt quidquid nos, ac ſtatum noſtrum internum, & externum perfectiores reddit. Wolf. Pſychologiæ Empiricę §. 554.

II. Ex hac Boni Notione infert in Philoſophia Practica Univerſali §.53. Bona eſt Actio, quæ nos, ſtatumque noſtrum externum perficit.

III. Quidquid nos, ſtatumque noſtrum, ſive internum, ſive externum imperfectiores reddit, malum eſt. Wolf. Pſychol. Emp. §.565.

IV. Ex hac mali Notione infert in Philoſophia Practica Univer-

---

quam ſcripſit an. 1719, & auxit 1735. Illum vide §.XVII. Jam quod ad Grotium attinet -- *ejus mentem obſcuram ſæpius .... difficillimum intellectu ejus Opus, nec hactenus ab ullo Interpretum ſatis illuſtratum fuiſſe* -- leges apud Samuelem de Cocceii Proteſtantem in Præf. ad novam Grotii Edit. 1751 §.1 & 2 & iterum §.4. *Difficillimum*, inquit, *hoc Opus*. Huc faciunt verba Barbeyracii eadem Præfatione, de qua ſupra, ad confirmandam obſcuritatem Grotii -- *Commentatores, quos ſatis multos* (Grotius) *habuit, quam parum nobis adjumenti in toto iſto negotio fuerint &c. &c.* -- De Puffendorfio vero Commentatorum ipſius nobiliſſimus Joannes Nicolaus Hertius in ſua ad Lectorem Epiſtola, quam præmiſit Edit. Puffend. an. 1616 eum dicit quæſtiones controverſas *plane, dilucide, ac ſine tricis expedire* -- At paucis poſt lineis falſitatem hanc ſuam coarguit Hertius -- *Profectò*, inquit, *non ſemel conquerentes audivi ſtudioſos Juvenes, deterreri ſe à lectione* (Puffendorffii) *ob Operis obſcuritatem* -- neque hanc extitiſſe putes ex rerum reconditiorum tractatione; ſed *quod plures ſpecies effinxerit, atque his ſpeciebus nova nomina imp ſuerit; ſimulque definitiones excogitaverit, quæ ante Grotium, vel planè cognitæ non fuerunt, vel non eo quo ipſe intellexit, ſenſu* -- Ita de Grotio Samuel de Cocceii in Præf. ad novam ipſius editionem 1751, quæ ad Puffendorfium transferre jure poſſis, una cum aliis multis, quæ prætermittimus.

Digitized by Google

verſali §.53 = Mala eſt Actio, quæ nos, ſtatumque noſtrum externum imperfectiorem reddit. =

V. Perfectio eſt conſenſus in varietate, ſeu plurium à ſe invicem differentium in uno. Conſenſum autem, inquit, appello tendentiam ad idem aliquid obtinendum. Dicitur perfectio à Scholaſticis Bonitas Tranſcendentalis: Ita Wolf. §.503 Ontologiæ. Declarat exemplis oculi & horologii, in quibus ſingula tendunt, ſive ad delineandum imaginem, ut in oculo, ſive ad indicandum tempus, ut in horologio. Jungamus, inquit, exemplum ex Moralibus petitum. Vita Hominis, quatenus denotat complexum Actionum liberarum dicitur perfecta, ſi ſingulæ ad communem quemdam finem tendant, ad quem tendunt Naturales. Inde nimirum oritur actionum liberarum, cum inter ſe, tum cum Naturalibus conſenſus. Atque in hoc conſiſtit vitæ humanæ Perfectio. Ita Wolf. §.503 Ontologiæ.

VI. Imperfectio ex adverſo eſt diſſenſus in varietate, ſeu plurium à ſe differentium in uno: diſſenſus vero conſiſtit in contrarietate tendentiarum ad commune aliquod bonum obtinendum. Vocatur etiam malum. Wolfius §. 504 Pſychologiæ Empiricæ.

Videndum jam, num hæ Notiones de re maximè neceſſaria *Rectitudinem actionum, & perfectionem* declarent ea veritate, & claritate, quam ſpondet Wolfius ab ipſa Præfatione.

Imprimis Notio Boni, quam tradit Wolfius, eſt ſatis incongrua. I. Bonum eſt non modo, quod nos perfectiores reddit, ſed illud quoque, quod nos reddit perfectos. Ac ſane nemo non videt Poſitivum incongrue definiri per Comparatiuum, *Bonum* per *melius*, ſive *perfectius*. 2 Bonum eſt non modo, quod nos, ſtatumque noſtrum perfectos facit, ſed etiam, quod nos ſimpliciter *facit*, ſive in noſtro eſſe, noſtraque entitate conſtituit: Imo hoc eſt Bonum illud præcipuum, quo ſumus, & de quo tam multa Patres, contra Manichæos, qui naturam non bonam agnoſcebant. 3 Si ſermo ſit de Bono relativo, hujuſmodi eſt non modo, quod nos, ſed etiam, quod alios perficit. 4 Licet Bonum, & Perfectum convertantur, æque tamen ſunt vel obſcura, vel clara, ut proinde minus aptè poſſit unum per alterum definiri. Uter doctius, & clarius verſet hoc Argumentum de *Bono* Wolfius ne, an Suarez

Diſp.

Digitized by Google

Diſp. X Metaph. judicent, qui utrumque legerint, ac comparaverint. Legendus etiam Petavius Tom. I. de Deo L. 6. Cap. I. num. V.

Ex tradita Boni Notione male definit Wolfius Actiones bonas; Ait enim eas eſſe, quæ nos, ſtatumque noſtrum externum perficiunt: Imo vero optimæ ſunt actiones plures, quæ nos, ſtatumque noſtrum externum deſtruunt; Hujuſmodi eſt mortem occumbere pro caritate in Deum, in Proximum, in Patriam. In eamdem falſitatem recidit, quod §. 55 ait = *Actiones bonæ ſunt, quæ ad perfectionem hominis tendunt*: Male inquam; Actionis ſiquidem Bonum, quod explicat, & curat Philoſophia Practica Univerſalis non aliud eſt, quam Honeſtum Bonum; Atqui Wolfius Notionem tradit ita genericam, quæ conveniat etiam utili, & delectabili; Nam hæc etiam Bona Hominem in ſua linea perficiunt. Imo ipſummet Bonum Honeſtum ſubdividitur in naturale, ac morale, quod Actionibus ineſt. De his optimè Eximius Suarez Diſp. X Metaph.

Errat proinde exponens malam actionem in Philoſophia Practica §. 53. Mala eſt, inquit, actio quæ nos, ſtatumque noſtrum externum imperfectiorem reddit; & §. 55, actiones malæ ſunt, quæ ad imperfectionem hominis tendunt = Quæ verba non diſtinguunt Naturalem a Morali imperfectione, quæ eſt Actionum Imperfectio. Quare Homines de Epicuri grege non ſatis utile ab Honeſto diſtinguunt.

Falſo docet Perfectionem eſſe conſenſum in varietate: quæ ſi ſit varietas plurium realiter diſtinctorum, non conveniet ſimplicibus ſubſtantiis, multòque minus Deo: Si varietas formalis ex pluribus ratione noſtra diſtinctis ſit, adhuc mala eſt tradita perfectionis Idea: tum quia etiamſi unumquodque ſeparatim cogitetur, *perfectionem* in ſuamet Notione oſtendit, aut oſtendere poteſt: Notio itaque *perfectionis* independens eſt à conſenſu in varietate; tum quia hæc plura quæ cogitatione noſtra diſtinguuntur, vel bona ſunt vel mala? Si Bona, utique eorum conſenſus perfectionem dicet, aut dicere poteſt: Si mala ſint, conſenſus perfectionem non dicet: Profecto Peccabilitas conſentit cum Mutabilitate, cum Ignorantia &c. &c. Sed hic conſenſus perfectionem non dicit. In corpore Artificiali imperfecto

xe.

ex. gr. Horologio, prava partium ſtructura conſonat in malam indicationem horarum: in ægro corpore Naturali omnia conſentiunt in morbum, aut etiammortem. Hic conſenſus perfectio non eſt.

Falſum eſt vitam hominis, prout eſt complexum Actionum liberarum ejus, perfici ex conſenſu actionum liberarum cum Naturalibus: Cum enim Naturales Actiones plures ex prava radice tum appetitus iraſcibilis, tum concupiſcibilis exiſtant, proindeque multoties impediendæ ſint, aut compeſcendæ per actiones liberas, cujus caſtæ aures ferant complexum liberarum actionum perfici ex conſenſu cum naturalibus: Namque hæc illa Sententia eſt, quam Auguſtinus L.5. Con. Jul. cap.7. improbat in dicente „ non eſſe reſiſtendum naturalibus motibus, ſed ſicut ait Hortenſius, tunc obſequatur Naturæ cum ſine Magiſtro ſenſerit, quid Natura deſideret „. Imo potius ad perfectionem pertinet diſſenſus ab iſtis, ſive eorum abnegatio. Verum hæc recidunt in Lemma, ac Theorema Wolfii impugnatum.

Satis fuerit pauca hæc in Wolfio adnotaſſe, quæ ad rem noſtram propius faciunt: Cæterum viro cuicumque in Metaphyſicis, & Theologicis Docto, hujuſque Auctoris Opera Philoſophica patienter legenti, erunt ad manum innumeræ Criticæ Notæ, quibus illius Definitiones, Aſſerta, Argumentationes verboſiſſima demonſtratione veritatum certarum, rerum earumdem inutili repetitione, elocutione barbara, involuta methodo, falſitate multiplici redundantes ad ſingulas fere paginas caſtiget, ſibi certò ſuadens falſa eſſe, quæ cum inſigni Catholicorum Theologorum contumelia de ſe prædicavit Wolfius in Præfat. an. 1738 *Neminem hactenus repertum*, qui Theoriam Actionum humanarum, ac Naturalis Juris rite tradiderit: tandem aliquando ipſum extitiſſe, qui eam tradere aggreſſus fuerit *eo demonſtrandi rigore, quem ſibi hactenus vindicavit Numerorum, & Magnitudinum ſcientia*: Conſueto ſcilicet ætatis noſtræ malo fato, ut putidæ falſitates, ad faciliorem legentium deceptionem, ſub evidentium Demonſtrationum mentito nomine deliteſcant.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

F I N I S.

Digitized by Google